



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Adversvs Omnia Catabaptistarvm Prava Dogmata Heinrychi Bullingeri lib. IIII

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1535

VD16 B 9759

Primvs Liber Contra Catabaptistarvm Errores, & quod mundus facillime
falsa doctrina seducitur & scinditur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35433

LIBER I
PRIMVS LIBER CON
TRA CATABAPTISTARVM ERRO

res, & quod mundus facillime falsa doctrina
seducitur & scinditur.

IOIADA.



MININO uerissimum est, quod & ethnicorum sapientes sunt conquesti, no-
uarum rerum studiosos esse mortales, a-
deo ut ultro impudentibus & turpibus
impostoribus (modo hypocrisi & uana blandiloquen-
tia ualeant) seducendos & deprædandos se præbeant.
Hoc tametsi per se (si quis uel iuxta humanam ratio-
nem æstimet) miserum est, & horrendum, apud Chri-
stianos tamen multo est miserrimum, qui certa & de-
finita non infinita imò breuia & compertissima tum
fidei tum uitæ nostræ fundamenta habemus, quibus
& tuto niti et fidere possemus, nec pati ut quisq; er-
ro nos ita circumferret ac protruderet. Sed merentur
hæc, nostra scelera & perfidia, qui quotidie uerbum
dei audimus, sed corde uero non percipimus, nescio
quid aliud quàm Dei gloriam & uitæ innocentiam
quærentes. Merito ergo in reprobum sensum & in o-
mne genus turpitudinis & dedecoris tradimur.

SIMON, Sed eccum diu expectatum uirum.

I.
TRACT:

Nos Christiani statu
definito breuia
reperimus
fidei & uitæ
fundamenta hæc

LIBER I.

An uero is est quem obuiam uideo uenientem? Allo-
 quar. Salue chariss. frater. Es ne Ioiada, cui aliquando
 familiariter cōuersabar Lugduni? Vt uales cedo? Sal-
 uā ne sunt omnia? Aut quid te tam cogitabundum &
 turbatum incedere cogit? IOIADA. Quod

ad me attinet, recte habent omnia sed dolet tantas &
 tot esse inter Christianos turbas, quæ quū ad nihilum
 sunt nec necessariæ nec utiles, uidemus tamen miserā
 plebeculā Catabaptistarū errorib. undiq; implicitam
 esse. Cæcitatē tā magnæ pudet pœnitetq; , quod non
 uident quantum calamitatis sequatur, ubi semel Cata-
 baptistæ pedem fixerint. Oportuit certe hæc animad-
 uertere, adeoq; illos uitare cognitos, nec unguem la-
 tum à certis fidei articulis discedere. SIMON.

Dic sodes quid mali tentent isti homines, nam id af-
 firmare ausim, nihil hætenus audiuisse me tentatum
 ab illis, quod à ueritate & honestate abhorreat. Inte-
 rim non ignoro multa illis falso impingi, in multis eos
 adcusari quæ minime agnoscunt. IOIADA.

Audio & tibi præstrictos esse oculos ab istis homi-
 nibus, quos si expurgatos tibi aperuero, gratias ut pu-
 to ages & beneficium hoc agnosces. SIMON.

Non possum genus isthuc hominū in uniuersum dam-
 nare, neq; enim audio illos turpe aliquid designa-
 se. IOIADA. Ego uero tibi ista manifesta red-
 dam. Vualtzhitum totam subuertit hæc secta, multos
 ex ciuibus

ex ciuibus uiros bonos & integros exulare coëgit, et
 possessionibus pepulit, qua ex re Euangelium quoq;
 (quod illic pulchre floruerat) funditus excisum est.
 Parum absuit quin idem Vormatiæ factū fuisset. Au-
 gustæ, Basileæ, & in Morauia catabaptistæ fuerunt,
 qui Christum prophetam affirmarent, qui diabolos et
 impios beatos futuros assererent. Sanctogalli frater
 fratri caput abscidit iubente id (ut ipse aiebat) patre.
 Quid turpitudinis sub pretextu matrimonij spiritua-
 lis admittant, testantur urbes & ciuitates, quæ ob hæc
 scelera sæpe in eos grauissime animaduertunt. Hoc
 uero nemo negare potest, quod pleriq; illorum coniu-
 gem et liberos relinquunt ac deserunt, imò omni ab-
 iecto officio ignaui stertunt, & ex alienis laboribus
 saginantur. Quum uero tam turpi & abominanda
 libidine scateant, iussum patris cœlestis interpretan-
 tur illi. Hoc deniq; mulieribus & honestis matronis
 persuadentes, impossibile esse ipsis, ut regni cœlestis
 sint consortes, nisi corpora sua turpiter prostituant,
 quandoquidem scriptum sit renunciandum esse ijs,
 quæ maxime diligimus, & Christi gratia omnia infæ-
 miæ genera esse deuoranda pijs, deinde publicanos et
 meretrices præcessuros esse iustos in regno cœlorum.
 Perfidia, mēdacijs, & seditionis, quib. inobediētes isti
 undiq; scatent, nec finis est nec modus. Num ergo hæc
 mi Simon, & (quæ prudens supprimo) grauiora, uira

*hæc in q̄ pro
 dicitur in abap
 istos curat
 p̄mississim
 T̄ q̄ negant
 S̄rboles & q̄
 S̄r̄p̄ant
 p̄m̄ndia p̄st̄at
 Turpitudines
 admittit*

716

*o Turpitudines
 in d̄m̄*

L I B E R I.

tutes sunt? An tibi adhuc inhonesti nihil designasse sunt uisi? Aut potes negare hæc facta non esse? SIMON. Multa profecto illis impinguntur falso, additq; fama non nihil. IOIADA. Quæ hæc henus sunt enumerata literis obsignatis probari possunt, certisq; testimonijs. Ego certe eorum crimina prudens suppressi minusq; dixi quàm fecerint ipsi. Quo magis dolet mihi, tã esse cæcos homines, ut hæc non animaduertant aut corde expendant. Imò bonam partem hominum erroneos istos non secus amplecti & sequi, ac si è coelo essent delapsi, & sancti inter mortales essent, qui nihil quàm diuinum & coeleste prædicarēt, quum Nicolaitas & Valentinianos spurcitiæ longe superent. SIMON. Hæc mihi hæc henus incomperta fuerunt, nec omnes his sordibus contaminatos puto. Quid uero ad bonos quod pauci inter eos designant? In sacro apostolorum duodecim numero Iudas proditor & is nihilominus apostolus dictus est, quod fraudi futurum cæteris non puto. Deinde tam præclara & diuina docent de Deo, de uitandis peccatis, ut intelligere non queã tam malos eos esse. Dum capiuntur, laudant deum, & gratias agunt: dum interficiuntur, constanter perdurant, læti & alacres mortem obeuntes. Hæc mi Ioiada inficias ire non potes, quare magnopere uelim ut eos audisses quemadmodum ego. IOIADA. Pauca fortassis contra

*Latibant
superant
latitas & uale
timoros spurc
ntia*

trate adducere possem, nisi hoc genus hominum mihi
perspectissimum iampridem esset. Sed non sum igna-
rus quantum fraude & fuce possit hypocrisis. Quod
ad tuam responsionem attinet, recte quidem tu pauco-
rum negas scelus innoxijs fraudi esse, sed nondum pro-
batum est abs te, Catabaptistarum caussam iustam &
bonam esse. Nec tu quenquam ex illis mihi ostendes,
qui non aliquo praedictorum flagitiorum commacula-
tus sit. Mendacium dico, perfidiam, periurium, inobe-
dientiam, seditionem, ocium, desertionem, turpitudi-
nem. Ex his licet non omnia omnibus, singula tamen
singulis adherent, ut interim taceam haeresim & se-
ctas, pertinaciam & eorum falsam ac erroneam do-
ctrinam. Quandoquidem uero multa de Deo (ut tu
asseris) dicunt, cupio ex te scire, an no & hi qui Euan-
gelium praedicant de Deo sermonem faciant? SI-
MON. Hoc isti pernegant. IOIADA.

In hoc autem uim & iniuriam euangelistis infe-
runt, quum diuersum ecclesiae uniuersae testentur, nem-
pe, ex euangelio & synceriter & summa cum fide do-
ceri fiduciam in unicum & uerum Deum per Iesum
Christum, adeo ut etiam apud hostes Euangelij pro-
uerbij loco iactetur, sacerdotes iam nihil praedicare
quam de unico Deo & unica fide, offensi hac praedi-
catione quod sola fide iustificetur homo. SIMON.

Ita profecto res habet. IOIADA. Nunc

*Mentibus
mo, quod sola
fide iustificatur*

*quomodo. Sed homo iustificatur p b 3 fidei p charitatem
operantem, et no solum fidei, quae fides est quae
sola, Ro. 2. Non qui audit legem nisi sit apud Deum.
sed q legem fide exprimit, nisi habet charitatem. 1 Jo
habeto caritatem, charitatem uero no habet nihil fidei.
Oportet fidem diuina, nihil excludit. Siquis p charitatem
tandem fidem p charitatem no exprimit, hanc quidem
iustificare ps 10. 5. fides est 3. fides iustificat*

Je
I
o,
a
ri
i
si
ec
m
r
e
ie
us
ni
os
ro
t,
m
c
m
n
es
o
d
on
ra

*A. Ezechiel. 10. Injustitiam dicitur ex bonis. & in malis
operibus. Obscura. in. no. LIBER. Quod si idem nobiscum
infirmis. Et si in gremio vestro in ista bonis operibus affi-
untur. Nam igitur, si de Deo & fide secus docent Catabaptistae,
Quod si idem nobiscum praedicant (Sic enim necesse
est, si recte & iuxta scripturam) cur ergo se à nobis
separant? Aut satis non est quod nos docemus, quum
idem docent utriq;? SIMON. Vnum est, quod
praedicare uos non uultis, nempe, peccandum omni-
no non esse pijs. Alterum, quod peccatores à uobis non
uitantur, nec cura est uobis ut à saeculo hoc contami-
nato & scelerato separemini. IOIADA. A*

*Sancti in scriptura
in die*

Math. 9.

*Iob 25.
Eccli. 21.*

Mar. 3.

*No. desperandum
pijs*

Christo Iesu seruatore nostro docti sumus, sanis medi-
co non esse opus sed agrotis. Nam idem obijciebant
pharisaei discipulis Christi, Quare magister uester cum
peccatoribus manducat? Quandoquidem uero nemo
sine crimine uiuit nec infans unius diei, non est quod
doceamus non peccandum, sed poenitendum potius et
à peccato ceu colubro cauendum esse. Nec desperan-
dum pijs si quando labantur. Publica scelera quae de-
signantur, quotidie à ministris ecclesiae sic exagitan-
tur, tanta est increpandi seueritas, ut prouerbi-
um in eos iaciant hostes, nihil eos scire quàm increpare &
cõuitari. Quod ad abstentionem aut separationem atti-
net, non uidemus hoc à Christo unquam esse factitatum, do-
nec ulla spes reliqua fuerit. Non ergo separamus nos à
peccatoribus, ne pharisaeorum similes fiamus Luca. 18.
SIMON. Sed non deseruntur peccata. IOIA

DA.

DA. Hoc uero non doctrinae adscribi debet, sed his qui doctrinae parum obsequuntur. Doctrina (ut tu quoque concedis) sana est, nec quidquam in illa desideratur: quid ergo est quod catabaptistae docendo diuersum aliud agant, quam ut ostendant pertinaciam suam, & philautiam quandam, qua fit, ut nihil eis placeat, quam quod ipsi faciunt. Hoc ut sine affectibus non fit, ita sine morbo esse non potest. SIMON.

Nec tamen credis quam sint deuoti Deo, quam seueri & graues, quam ardeant in Deum. IOIA.

DA. Hanc eorum deuotionem sine uitio esse non crediderim, nam ecclesias simul separant, dum nihil est necesse. Negare enim non potes, a nobis quoque et deum summa cum fide doceri: & scelera summa cum libertate ac seueritate reprehendi. Quid ergo illi faciunt quod nos non idem faciamus, praeterquam quod se ab alijs separant & pertinaces sunt? An non & Satan se in angelum lucis transformare nouit? Quid ergo mirandum si & impostores, pastores se esse simularent? Qui piscari uolunt, non nudum, sed esca piscibus grata obductum hamum obijciunt. Recte Cato olim dixit, Fistula dulce canit, uolucres dum decipit auceps. Neque est tam stultus, ut rete ante oculos auium exponat. An non & Papa tot iam annis nos hypocrisis sua tam speciosa, & diuino quodam furo seduxit? Sed exciderunt nobis haec, qui nos ipsos tam facile nouis istis

*4 p[ar]te in de
se d[omi]ni in d[omi]ni
aff[er]re d[omi]ni
p[ar]te d[omi]ni
p[ar]te d[omi]ni*

2. Cor. II.

Proverb. a

*Cato l[ib]er
7 m[en]te l[ib]er*

*Blasphemiae
attende 7 m
ne*

impostoribus & hypocritis addicimus. Quibus arti-
bus monachi tot opes corraserunt? an non blandilo-
quentia, & spiritu hypocritico? an non vitæ sanctimo-
nia simulata?

*Veram. n. est. quod à
Paulo scriptum est
Etiam si tradidero cor-
pui meum, ita ut
ardentem charitatem
autem non habuerim
nihil mihi proderit.
Non habet autem charita-
tem qui erga omnium de-
iudis. Salus, inquit, gra-
tiam, etiam si occisi-
erit in confessione christi
nostris fuerint, manilla
ista nec sanguine
abluatur: nec piabilis
et gravis culpa disor-
dine nec passionis pur-
gatur. Esse martyr no-
strum qui in ecclesia non
est: ad regnum
venit, non per se
nam qui regnatura
est, dicit iniquum.
Racem nobis christi
dedit, concordia
atque unanimis
prope filia fionis
charitatis foudra
in corrupta am-
inviolata
mandant: Ex his
hoc esse non potest
tyrum, fraterna
no lingua charitatis
tam. Beati q. p. si
cutiorem patienter
dicit dicit, sed ad
propterea nisi ciara*

Quod capti exultant, quod alacres & cum laude
Dei mortē obeunt, id demum ita exaggeras, ac si hæc
(etiā si fiant) doctrinā eorum uerā aut eorū facta bo-
na esse arguant ac probent. Hoc si euincas, conseque-
tur & furtum & latrocinium facta esse iusta & bo-
na, nam illi cruce & rota dum plectuntur, patienter
sepe ferunt & insuper deum benedicunt ac laudant.
Quis tam insanus, qui non intelligat ita colligi non
posse: Hic torquetur, plectitur, & gratias agit, ergo
iustus est & sanctus. Quod si quis contendat hoc con-
sequi, hic dare cogitur, iudeorum religionem sanctis-
simam, imò hanc solam ueram esse, quum nemo perti-
naciū in mortem usq; pro religione sua perderet iu-
deis. Quot putas fuisse hæreticos qui constantissime
mortem obierunt, testantes sanguine suo se uera do-
cuisse? An non sæpe latrones & proditores qui digna
morte multantur, mordicus innocentiam suam usq; ad
ultimum spiritum tuentur & clamant? Num ergo per-
tinacis istius hominis & desperatissimi causa iustifi-
cata est coram Deo? Quis non intelligit hoc esse peio-
rem, quo à pœnitentia & confessione magis abest?

SIMON. Ita est ut dicis, nec possum refraga-

*Non ergo propter iniquitatem, inquit Augusti, & propter christianam
unitatis impiam divisionem, sed quod propter ipsam peccatorum
patienter, hic martyr ueris sum. Ipse dicit cum lance rubra crucifixus est / sed
quos passio iungebat, causa separabat. Potest impio similis esse peccator, sed
dicitur: in his est martyris causa. Et ea res quod facit martyras, non peccata, sicut in
vno loco repetitur dicit Augusti. Quam ob. nihil est, quod hoc hominis
se doebapustie efforant, quiddam propterea Lutheranus nos auerfando
esse putat, quod promissionis paratio usq; sine ad quænis gna supplicia
profundanda. Vide Iustum pinnium in no libro quo erro res non
confusa*

ri. Sed hoc miserrimum est, nos simplices ita circumferri, ut ignoremus, quid tandem factum sit opus. Catabaptistæ uos, uos catabaptistas errare dicitis, utriusque sua ornant & uera esse dicunt. Meo iudicio quicquid miseriarum est & turbarum, à sacerdotibus oritur. Nec puto turbulentiora unquam fuisse tempora. Satius fortasse fuerit, ut affectui meo indulgens, nemini quicquam crediderim, res meas pro libito agens.

IOIADA. Haudquaquam ita facies mi Simon, sed ex te ipso iam disce, quid à catabaptistis boni ueniat, quidque ab eis suxeris. Nam palam profers iam fructum, nempe desperationem & sese niti. An excidit tibi quod Deus in Deuteronomio docet: Non facietis singuli quod sibi bonum uidetur, sed quod dominus præcipit? Sic perplexi isti homines ceteros secum impediunt & præcipientes agunt. Sed uos in culpa estis, authores uestri mali, nam placent uobis huiusmodi impostores. Mox ut contentiosus aliquis, aut noui aliquid ac insolentis caput exerit, adcurritis omnes cateruatim, neque promouent apud uos monitiones, non preces non increpationes. Quum in profundum malorum uentum est, sacerdotibus culpam impingitis, qui uos summa cum fide præmonent, quorum monita, imò dei uerba per ipsos prolata si audiretis, tranquillis uobis uere liceret. Quandoquidem ergo uestra culpa ultro uos in has angustias coniecistis, non est ut culpam hanc

quid a catabap
dicitur boni uer
um

Deut. 12. 116

id est per se
sibi uerba
per se
per se

fidis pastoribus, qui uos ut hæc caueretis præmonuerunt, qui uos ad pacem ad charitatem & cōcordiam adhortati sunt, sed uobisipsis adscribatis. SIMON.

Dixi, quod ad huc sentio, turbulentiora nunquam fuisse tempora, quicumq; tandem sint authores.

Vide quid nix.
Eas apl. nix.
Vind imp. nix.

IOIADA. Vm̄ scire quid sit? Hoc turbas mouet, quod uos temere in omnibus compitis unumquēq; ē plebe ministrum uerbi Dei facitis, idq; sine delectu. Ad hæc prodis te historiarum omnino inscium, & rerum inexpertum, qui uix unius ætatis aut sæculi gesta noris, nec ultra quàm quod præsens est spectes. Si legisses sacra Euangelia, apostolorum actus, grauiora nimirum reperisses dissidia, quæ ex Christi & apostolorum sermonib. nata sunt. Porrò omnes historiæ plene sunt dissidiorum quæ præteritis sæculis ex Mar- tionis, Valentini, Arrii, Nestorij, Euthicis, Donati, Pelagij, reliquorumq; hereticorum dogmatis falsis sub- nata sunt. Ibi fuerunt magni motus, & non solum urbium aut ciuitatum, sed regnorum etiam defectiones: quæ tantæ fuerunt, ut nostra cum illis ne conferenda quidem sunt. An non Christus ipse & apostoli futu- ris temporibus sectas exorituras prædixerunt? Non quidē in hoc, ut propter has turbaremur aut animum abijceremus penitus, sed ut hoc diligentius contra hu- iusmodi pestes uigilaremus, non solum ad cauendum, sed ad resistendum quoq;. Diserte pronunciat Pau-
lus

Vide 4. 6. 7.
apl. sectas fu.
nix apl. p. d. x. -
x. 1. 2.

lus 1. Cor. 11. Oportere sectas esse, ut probati manife-
sti fiant. Quemadmodum secerniculum in mola non *Ab quid sentit
nihilum in mola*
perdit frumentū, sed à paleis purgat: ita triticum pio-
rum & fidelium hominum nequaquam perit falsis do-

ctrinis, sed purgatur potius excusso puluere & palea. Et Ioannes dicit: Exierunt è nobis, sed non erant è no- 1. Ioan. 2.

bis, nam si fuissent è nobis, mansissent utiq; nobiscum.

Constantia igitur & fortitudine opus est, nec clauus
mox abijciendus, sed undis & procellis fortiter reni-
tendum. Hæc in tempestate constantia & perseueran-
tia, argumentum erit nos non leues esse, sed firmiter et

recte credidisse. Tentationes signa sunt ueritatis, & Tentationū
prodūt quatenus ueritati crediderimus. SIMON. *uultus.*

Recte sentis. Quandoquidem uero te tam beneuo-
lum erga me ostendis, & semel de hisce rebus coepi-
mus, me totum tibi aperiā, uaria de catabaptismo te-
cum collaturus, si quidem audire me tempus tibi fue-
rit opportunum. IOIADA. Parebo tibi, tu si
quid habes profer. SIMON. Miror, si tibi o-
mnino nihil boni in doctrina catabaptistarū est, nam
mihi quidem longe aliud uidetur, nempe quædam eo-
rum non ita infirmiter firmata esse. IOIADA.

Omnino hoc boni habet, quod plerosq; cogunt scri- *quid boni in
portentis in
in baptista*
pturas euoluere, qui alioqui parū illis studerent. Quæ
recte docent, nobiscum communia habent, reliqua do-
cebo falsa & friuola esse. Scripturus sum aliquando

LIBER I.

contra eos, quare conclusiones aliquot contra eorum doctrinam quam bona pars eorum habet annotaram. Nam contra impios & blasphemos qui scripturas rejiciunt, demones & impios uita aeterna donant, qui Christi diuinitatem negant, publica & ingentia scelera sine pudore patrant, quid opus esset scribere? Sed ordine iam conclusiones meas enumerabo.

CONCLUSIONES CONTRA DOCTRINAM Catabaptistarum quam serè omnes habent.

II.
TRACT.

1. **S**piritus, qui contra ingenium spiritus qui in scripturis sacris loquitur, pugnat, ex patre ueritatis non est, sed ex patre mendaciorum diabolo.
2. Nemo unquam sanctorum sese in officium prædicandi publicum ingessit, aut ui intrusit, sed tum demum, quum à Deo missus, ab apostolis aut ecclesia electus fuit.
3. Christus & apostoli propter res terrenas & externas nunquam turbarunt ecclesias, sed pacem ecclesiarum in primis curarunt. Adparet ergo tumultuosos esse, mendaces, & hæreticos, qui bene constitutas & pacatas ecclesias propter has turbant & scindunt.
4. Nec minus falsi sunt prophetae, qui nõ sine blasphemia

miā & contemptu crucis Christi docent, Christum originale duntaxat peccatum abstulisse, quotidianam peccatorum remissionem illis negantes, qui semel purgati, rursus cadunt. Aut qui iustitiam nostris operibus tribuunt.

*lego in fide
ante hanc*

Euangelium deniq; contumelia afficiunt dum animas, post hoc seculum dormire affirmant, & animarū naturā, et uirtutē resurrectionis Christi ignorantes. 5.

Rebaptisatio quoq; ex Deo non est, noua quaedam secta quæ scindit ecclesie unitatem, per quam renouatur, Nouati, Auxentij, & Pelagij heresis nocentissima. 6.

Baptismus paruulorum ex Deo est, qui semper à tempore apostolorum ad nos usq; in ecclesia fuit, non nuper à pontificibus inuectus. 7.

*7. p. u. h. b. g.
baptif. 10*

Christianum officium et exemplū non cogit Christianos ut priuati nihil, communia omnia habeant, sed ad curam domesticam misericordiam & beneficentiam inuitat. 8.

Maculæ ergo sunt Christiani gregis, quicumq; familiaria sua relictā, tumultuosis fabulamentis sese alieno labore pascunt, similes monachis qui idem hypocrisisua fecerunt. 9.

*h. p. u. d. v. o.
p. u. d. v. o.
b. p. u. d. v. o.*

Euangelistæ aut uerbi ministri, sua habere possunt, domos scilicet & possessiones. Deinde ex Euangelio uiuere illis licet. 10.

10.

11. Quod inuident catabaptistæ & calumniam struunt, quis non uidet odium esse in predicatores ueritatis, ut sese insinuent & iactitent, inuidia pastores erga gregem degrauent: gregem contra pastores irriterent, & pastoribus fidem apud plebem detrahant, quæ maior ipsis fides habeatur?

12. Christiani qui rite eliguntur, magistratum inoffenso deo gerere possunt, quum potestas ministra dei sit.

13. Non solum utilis est hæc potestas Christianis sed et necessaria, quare huic est obediendum iuxta doctrinam Christi, Petri & Pauli.

14. Qui magistratui publico non obediunt, aut resistunt, qui hunc iniuria aut contumelia afficiunt, non Christiani, sed Saulonitæ sunt.

15. Qui magistratui publico iuramenta licita recusant, manifeste contra uoluntatem dei agunt, authores seditionis & omnis inobedientiæ.

16. Magistratus gladium ex Deo fert, cum quo & nocentes ferire potest et sanguinem noxiorum fundere, ut & mali plectantur, & tuta sit inter nocentes probitas.

Chrysolomus 27. Christiana libertas non carnalis est. Qui ergo in *lib. 2. 1. 16* Euangelio carnalia quærent, Simonis Magi socij sunt.

de Irim. 1. 16 28. In Euangelio ergo non discimus redditus & decimas non dare, sed omnibus debita reddere quibuscūq; debemus.

Administra

Administratio rerum corporalium ad magistratum pertinet, qui tum Christiane agit, quū iuxta hanc regulam agit: Quaecunq; uultis ut uobis faciant homines, & uos eadem illis facite? 19.

Hanc legem quicumq; seruat et Christianus esse et manere potest, etiam si redditus & decimas accipit. 20.

Hos articulos in genere posui, quod bona pars cathabaptistarum hos habet. Non enim ignarus sum impossibile esse, ut quis eorū errores omnes percenseat, infiniti enim et inexhausti sunt. Quum enim eundem ueritatis spiritum non habent, mirum non est, eos de errore in errorē detrudi. Tam uarias enim sectas ipsi inter se habent, ut altera alteram damnet & satanæ tradat. SIMON. Si hos articulos coram eis legisses, non impune tulisses. IOIADA. Iam dudum, mi Simon, uenenata eorum corda, et linguam eorum ad omnia genera conuitorum armatam, & omni absinthio amariorum expertus sum, ex quo facile conijcere licuit, ex quo spiritu phanatici isti homines loquantur, sed epistolæ sancti Iacobi caput tertium tu ipse lege, & disces uera esse quæ dico. SIMON. Obsecro, ex hoc capite quæ ad propositum nostrum præcipue faciunt, recensere uelis. IOIADA. Sic habent apostoli uerba: Quis sapiens, et scientia præditus inter uos? Ostendat ex bona conuersatione opera sua cum mansuetudine sapientiæ.

Quod si emulationem amarā habetis, et contentio-
nem in corde uestro, nolite gloriari, & mendaces esse
contra ueritatem. Non est enim ista sapientia è super-
nis descendens, sed terrena, animalis, demoniaca. Vbi
enim emulatio & contentio, ibi inconstantia, & om-
ne opus prauum. Quæ autem è supernis est sapi-
entia, primum quidem casta est, deinde pacifica, mo-
desta, tractabilis, plena misericordie & fructibus bo-
nis, absq; dijudicatione, sine simulatione. Hactenus Ia-
cobi uerba recensuimus. Tu iam expende, an non di-
uus apostolus mores & doctrinam catabaptistarum
graphice depinxerit. Nam quid agunt quàm emula-
tione quadam & amarulentia inuehere in quosdam,
conuitari, & præiudicio quodam alios opprimere?

SIMON. Pollicentur se rationem reddituros
quibuslibet de doctrina sua, seq; pati ut erroris cõuin-
cantur. IOIADA. Quid est autem quod pol-
licentur quod nunquam præstant, sed præiudicio in-
sententia sua pertinaces perstant? Tu ipse nosti ple-
rosq; qui se iam satis doctos aiebant, errorem agno-
scebant ad palinodiam se offerebant, imò errorem ab-
iurabant, deinde mox quum ad complices uentum e-
rat, errorem renouabant, & mordicus contra iusiur-
randum & omnem honestatem tuebantur. Quid cum
huiusmodi hominibus ageremus? Paulus dicit: Hæreti-
cum, post unam & alteram admonitionem fuge.

Doctrina

sapin = signum
quia est

Nota

Tit. 3.

Doctrina ergo eorum pertinax quedam contentio est, & amara sapientia, qualem Iacobus describit.

SIMON. Conclusiones interim tuas ueras esse nunquam dabunt. IOIADA. Hoc est quod dico, pertinaciores sunt quam Christianis conueniat. Sed tu nimirum, qui illis familiaritate quadam conuixisti, firmamenta eorum quibus nituntur probe nosti.

SIMON. Ut catabaptistarum nemo alius.

IOIADA. Hoc igitur uelim mi Simon, ut contra conclusiones meas singulas sic pugnes, ut solent catabaptistæ, tamen absq; stomacho & contentione. Curabo ego ut ex scripturis sacris eas firmem & ueras esse ostendam.

SIMON. Fiat quod petis, nam & ego doceri peto, habebis quoq; me obedientem, modo sic dicas ut intelligam uera esse quæ doces.

SPIRITVS, QVI CONTRA INGENIUM spiritus qui in diuinis scripturis loquitur, pugnat, ex patre ueritatis non est, sed ex patre mendaciorum diabolo.

SIMON.

Primum omnium miror quid causæ te mouerit ut hanc poneres conclusionem, quum meo iudicio necesse nihil fuerit. IOIADA. Mihi hero uidetur in primis necessaria esse. Nam pleriq;

III.
TRACT.

ex catabaptistis nescio quem spiritum & patrem contra apertissimas scripturas iactitant. Quum enim scripturis diuinis se urgeri, imò teneri sentiūt, ut effugere haudquaquam possint, mox clamant, spiritum aliud suggerere, nempe, ut uel taceāt, uel friuola quaedā ingerant, se literæ non esse subiectos nec addictos. Quam in re non minus errant quàm pontificij, qui in rebus fidei scripturam iudicem non ferunt, sed omnia ad suam interpretationem & spiritum referunt. An non hoc blasphemia summa est, quod homo peccator tantum sibi sumit, ut iudicem se super uerbum & uoluntatem dei statuatur, quasi huic parere non debeat, nisi suo spiritu & nutu ad recipiendum uel repudiandum moueatur?

Audiui ego ex pontificijs doctorib. quendam, qui aliquando in publica disputatione dicebat, uera esse quæ doceremus nos qui euangeliū prædicamus, sibiq; probari maxime, sed subscribere non posse nec aude-
re, nisi calculo Romani pontificis doctrina nostra approbata fuerit. Vide mi Simon quanta abominatio, ut mortalis homo diuinam & cœlestem ueritatem ad probet? & iudicem supra deum ponat? In aciem ergo hanc cōclusionem posui, quod catabaptistæ plerunq; spiritum iactitant, spirituq; niti uolunt, atq; hoc prætextu simplicibus imponunt. SIMON. An non Paulus hoc docet, literam occidere spiritum uiuificare.

re.

re. 2. Cor. 3. Et Christus dicit: Spiritus docebit uos om-
 nem ueritatem. Hierem. 31. à domino dicitur: Non
 docebit amplius quisq; proximum suum, ut dicat, co-
 gnosce dominum, sed omnes cognoscent eum à mini-
 mo ad maximum usq;. Ioannes deniq; dicit: Non est
 necesse ut quisq; uos doceat, sed quemadmodum un-
 ctio docet uos de omnibus & uerax est, & non est
 mendacium. Quid contra has tam manifestas scriptu-
 ras potes? IOIADA. Ad uerba Pauli sic re-
 spondeo, Paulum illic de lege loqui quæ nos occidit,
 ita quemadmodum latius declarat cap. 7. ad Roma-
 nos. Per spiritum autem fidem intelligit, & euangelij
 consolationē. Hoc ita esse, contextus totius capituli te-
 stabitur. Nihil ergo suffragabitur hic locus errori ue-
 stro. Nam & nos quum de uerbo dei loquimur, non li-
 teram mortuam, non inanem quendam sonum intelli-
 gimus, sed uerbum rite ac legitime intellectum &
 quod reuera est.

Ioan. 14.
 Quis p...
 Spiritus...
 docet...
 uos...
 non...
 id...
 nos...
 quilibet...
 h...
 aptus...
 ista...
 nos...
 h...
 uos...
 uos...
 uos...

Quod Christus suis spiritum pollicetur docentem
 & suggerentem omnia, admittimus & credimus, sed
 is spiritus non fuit aduersus Christo futurus, nec aliud
 docturus quàm Christus, ideo mox subdit, Suggesten-
 tem quæcunq; dixi uobis. Quid hæc ad catabaptista-
 rum spiritum qui aliud docet quàm spiritus Christi?
 Ioëlis & Hieremiæ uaticinia de eodem spiritu intelli-
 guntur, quem Christus promittit & præstat suis, ut



LIBER I.

ex capite Actor. 2. & Hebræorum octauo colligi potest. Ioannes in epistola sua quum de unctione loquitur seipsum clare interpretatus est. Scripsi uobis ne seducamini, quod tū fiet, si in doctrina spiritus quam ab initio audistis firmiter permanseritis, nec latum unguem ab hac discesseritis. Spiritus sanctus spiritus est ueritatis qui nec mentiri, nec sibi ipsi repugnare potest, semper cōstans, immutabilis, ubiq; sui similis. Iam irrefragabile est æternum illum, immutabilem, ac sanctum spiritum scripturas sanctas hominibus sanctis inspirasse. Ex quo consequi necesse est, eum spiritum, qui contra ingenium spiritus in scripturis sacris loquentis & sese exprimentis, loquitur, ex deo haudquaquam esse, quin potius humanum quendam affectum, qui si pertinax fuerit, merito dæmoniacus spiritus dici possit, ut Christus cōtra Iudæos probat Ioan. 8.

Aut potes tu eum spiritū bonum iudicare qui claras manifestas puras ac sanctas scripturas contemnit, quumq; ijs erroris conuincitur, alium iactat spiritum qui diuersum suggerat? An uero hoc non est contemnere spiritum scripturarum, eiq; repugnare? Quasi uero spiritus noster recte sentiat, scripturarum perperam. Vnde uero didicerunt hoc catabaptistæ suum spiritum opponere scripturis, uel potius præferre? SIMON. Quis uero uobis hanc potestatem dedit, ut omnia iuxta literam iudicetis? IOIADA.

Nec

Nec facimus hoc, præsertim ut tu literam interpre-
 taris. Sed hoc dicimus, uerbum dei in scripturis bibli-
 cis contentum ac firmatum, indicem esse quo spiritus
 probentur. Quicumq; enim spiritus scripturis sacris
 consonat, ex deo est patre ueritatis. Quicumq; uero
 scripturis sanctis aduersatur et repugnat, ex deo non
 est, sed ex patre mendaciorum diabolo. Quandoqui-
 dem ergo spiritus catabaptistarum uerbo dei duci &
 regi non sustinet, sed se uerbo dei præfert (uerbum dei
 per fallaciam literam adpellitans) & iudicem ponit,
 ex deo esse non potest. Nam si ex deo esset, in lucem
 prodiret, idemq; loqueretur quod sacer ille spiritus
 in omnibus scripturis sanctis loquitur. Nunc uero cum
 à scriptura non pendet, sed liber esse uult, suiq; iuris,
 signum est dæmonis hoc esse ingenium qui semper
 dissipat, & deo aduersatur. SIMON. Tu qui-
 dem ista loqueris, idq; fortiter, sed absq; scripturis. Et
 hic mos uobis familiaris est multa loqui absq; scriptu-
 ris. De spiritu, quid is doceat & suggerat, testimonia
 scripturarum adduxi. Quod uero spiritus scripturis
 probari (ne dicam mancipari) nec liber esse debeat,
 tuum erit probare. Aut fortasse elementum præfers
 creatori. IOIADA. Quid si ego quoq; dicam:
 Spiritus meus mihi hoc suggessit: quid facies mihi?

SIMON. Sed hoc non est respondere. IO-
 IADA. Nec uos respondetis satis, quum spiritum

extra scripturas uel contra scripturas iactitatis. Sed in hoc discimus, uos dum libet uti scripturis, dum utile est spiritum iactare. Quum uero spiritum scripturis probari assero, non subijcio creatorem creaturæ, sed uolo ut incertum magis certo probetur, spiritusq; spiritu, id est scriptura, expendatur, an sibi constet, an id minus. Quod si sui similis extiterit, recipiatur: sin minus, reijciatur ut fallax & impostor. Vos uero quum de spiritu loquimini elementum intelligitis, nam spiritus uester, non est spiritus sanctus, sed carnis affectus.

SIMON. Adhuc sine scripturis biblicis literas sic extollitis. IOIADA. Imò scripturis & exēplis nitimur. SIMON. Ostende ergo quod ueritas scripturis probari debeat, & non potius libero spiritu absq; scriptura. IOIADA. Ex uerbis tuis deprehendo quid uos fallit, hoc nempe, quod duo hæc coniunctissima & indiuulsa, spiritum scilicet & scripturam, separatis, quæ tamen separari nec debent nec possunt. Nam quum scripturas nominamus expressum uerbum spiritus intelligimus. Quem admodum enim uox uel uerbum uocis à spiritu animali separari nullo modo potest, ita scriptura à spiritu inspirante separari nō potest. Nam scriptura uoluntas est dei expressissima. Sed testimonia quæ petis adferā.

Dominus noster Iesus Christus, cui pater de coelo testimonium tulit, & spiritum sanctum dedit non ad mensuram

mensuram, adeò non spreuit sacram scripturam ut ex
 hac una omnia sua firmaret, iussitq; ut iudæi tum di-
 ctatum facta sua scripturis expenderent, Ioan. 5. Lucæ
 26. in Mosen & prophetas non in spiritus apparen-
 tes, oculos intendere iubet. Sadduceos redarguens Mar. 12.
 stendit erroris eorum hinc esse causam, quod scriptu-
 ras aut ignorent, aut negligent. Apostoli (ut ex Acto- Acto. 2.
 rum libro colligitur) ab initio spiritum sanctum uisi-
 bili quodam signo abunde receperunt, neq; tamen ob
 id scripturas sacras uel relinquunt uel contemnunt,
 neq; spiritum contra scripturas iactāt, sed suos sermo-
 nes scripturis potius probarunt & firmarunt, imò
 nil nisi ex scripturis prædicarunt. Hæc ex epistolis Pe-
 tri satis patent. Ioannes aperte docet, spiritus proban-
 dos esse num sint ex Deo, 1. Ioan. 4. Ex quo loco satis
 liquet spiritus probandos esse, neq; ita esse liberos ut
 catabaptistæ uolunt. Quomodo uero sint probandi
 spiritus, eodem loci satis clare habetur. Paulus in ter-
 tium cœlum usq; raptus, Euangelium suum à Christo
 Iesu didicit, uas dei electissimum, plenus spiritu dei &
 sapientia cœlesti, nihilo tamen minus coram Agrippa
 rege se extra Mosen & prophetas docuisse nihil te-
 statur Acto. 26. Galatarum epistola capite primo di-
 cit: Si ego aut angelus de cœlo aliud prædicauerit
 quàm à me audistis, anathema sit. Admoniturus Ti- 1. Timot. 4.
 motheum suum, docturusq; ut à falsis & erroneis do-

Strinis sibi caueat, ad lectionem scripturarum dirigit.
Sed legatur 2. Timoth. 3. & uidebitur quæ sit cataba-
ptistarum secta, & quid de spiritu & scripturis sen-
tiendum sit. SIMON. Locus iste satis notus
est, parumq; abest quin persuaseris. Sed hoc me tor-
quet quod Paulus dicit spiritualem omnia dijudicare,
neq; ipsum à quoquã iudicari. IOIADA. Cu-
pio ex te scire de quo spiritu illic loquatur. SI-
MON. Ego uero ex te hæc audire malo. IOIADA.

2. Cor. 2.

Præcedentia uerba diligentius expende, sic enim
dicit: Nos uero non spiritum mundi accepimus, sed spi-
ritum qui est ex deo, ut sciamus quæ à Christo donata
sunt nobis. SIMON. Quorsum uero hæc, quod
Paulus de spiritu sancto loquitur? IOIADA.
Quæro ex te an non idem spiritus scripturas sacras in-
spirauerit? SIMON. Idem omnino spiritus.
IOIADA. Vnus ergo idemq; spiritus cum sit,
de quo hic Paulus, & qui in scripturis loquitur, an
non eueni, Paulum per spiritualem nõ eum intellexis-
se, qui spiritum (nescio quem) iactat, interim scriptu-
ras sacras contemnit, sed eum qui per spiritũ sanctum
ducitur & regitur, ea uia scilicet, qua se scripturis sa-
cris prodit & exprimit? Qui ergo scripturis sacris
adeoq; inspirationi spiritus sancti reclamatione, spiritua-
lis ille de quo Paulus loquitur esse non potest. Iam si
spiritualis non est, neq; iudicare, sed iudicari debet.

Scriptura
inspiratio
sancti spiri-
tus est.

Catabaptiste

Catabaptistæ ergo nihil iudicare, sed uerbo dei iudicari & probari debent. An non tibi uidetur spiritus catabaptistarum alas amisisse?

Sed occurrūt alij duo loci, qui catabaptistas omnino compescunt. Prior est Actorum decimo de Cornelio centurione, qui licet electus dei esset, mittit tamen (ita edoctus ab angelo) nuncios qui Simonē Petrum accersant, ut audiat ab eo prædicationem de Christo Iesu saluatore. Quod si spiritus aboleret scripturas, consequens esset, hanc externam prædicationem & quidquid huiusmodi est, uana fuisse. Alter est Actorum 16. capite de Thessalonicensibus, qui audita prædicatione apostoli Pauli, in scripturis quotidie inuestigarunt, an hæc quæ prædicabat Paulus ita haberent: nequaquam id facturi, si spiritus scripturis sacris probandi non essent. Quod ergo hac de re tradunt catabaptistæ, omnino falsum et prauum est, Montaniq; errori nõ absimile. SIMON. Quid hoc monstris?

IOIADA. Motanus hic ante mille trecentos annos hereticus magnus fuit, qui ferè de spiritu loquutus est quemadmodum catabaptistæ. Nam hi uetustissimos & oblitos errores omnes tantum non reuocant, quod ex sequentibus deprehendemus. SIMON. Pergamus obsecro, & secundæ conclusionis firmamenta uentilemus. Hoc enim incredibile mihi fuerit quod tu tam confidenter affirmas, neminem

LIBER. I.

sanctorum, inuocatum sese in publicum prædicandi officium ingessisse unquam. Quid hoc aliud quàm, quod olim fecit pontifex Romanus, ueritatem à plebe abscondere, ut de hoc nemo, nisi docti, loqui audeat, quum tamen deus se paruulis non sapientibus mundi cognitum facit, Matth. 11. IOIADA. Perlibenter faciam quod petis, sed quod de doctis & simplicibus ingeris, prius diluam. Neq; enim conuenit ut hæc silentio pertranseam, id enim est quo simplicibus oculos præstringunt catabaptistæ.

DE SIMPLICITATE ET
eruditione.

SIMON.

IIII.
TRACT.

Matth. 11.

AN igitur hoc est oculos præstringere? Christus hoc dixit, quum patri gratias ageret quod tam alta & diuina mysteria non sapientibus, sed paruulis & simplicibus reuelasset. Deinde non doctos, sed simplices & idiotas in apostolos elegit, 2. Cor. 1. Non igitur opus est multa eruditione, quo quisq; est simplicior, hoc ad hanc prouinciam aptior erit. IOIADA. Facile liquet uos uerba Christi haudquaquam intelligere. Nam si per simplices eos intelligit, qui omni sapientia & eruditione carent (sic enim uos uerba Christi interpretamini) nimirum ad
angelium

euangelium nemo magis erit aptus, quàm stulti & fatui, qui omnium rerum egregie sunt expertes. Sed hoc quàm ridiculum sit uel cogitare, nemo est qui non uideat. Aliud ergo per simplicitatem Christus intellexit SIMON. Tu uero quid sit edicito. IO = ^{Simplicitas} quid.

IOIADA. Simplex hic non dicitur qui sine mente, sine ratione, & sapientia, sed qui absq; fraude est, sincerus, qui intus ex animo probus est, absq; dolo et insidijs. Alioqui fieret, ut quisq; errorem suum inscitia defendere posset. Quod quid aliud est quàm carnis nequitia, quum quisq; ignorantiam iactare, & errores hac defendere inciperet? Ignorantia errores manifestantur, non asseruntur. Quis unquam similem audiuit audaciam? quis tantam temeritatem, quanta homines isti impudentissimi utuntur? qui inscitia sua nihil non tueri audent. SIMON. Adhuc apostoli simplices fuerunt & literarum ignari, nec legimus Christum doctos elegisse. IOIADA. Hac simplicitate nimirum, de qua iam diximus: sed inscij & ignari non fuerunt, utpote, qui cum Christo supra tres annos familiariter sunt cõuersati, cū Christo inquam, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, imò qui est patris æterni sapientia. Ab hoc fonte abunde hausserunt, hoc præceptore formati sunt. Demum sancto spiritu donati, & ita illustrati, ut omnium linguarum & scripturarum essent scientissimi. Id uidere licet

ex scriptis eorum & factis. Quod Christum negas doctos uocasse, an non manifeste ueritati repugnas? Doctus supra modum fuit Paulus, docti fuerunt Barnabas, Gamaliel, Nicodemus & Appollo ille Alexandrinus. Ut interim transeā reliquos, Mosen uidelicet, qui eruditus erat in omni disciplina Aegyptiorum, Stephanum, Esaiam, Timotheum. Intuere diligentius 24. prioris epistolae ad Corinthios caput, & primum caput ad Titum, & inuenies quanta eruditione pollere debeat episcopus. Nihil est ergo, quod arrogantes illi catabaptistae impudentem suam ignorantiam simplicitate excusent ac tueantur. Quin uniuerso orbi manifestum iam fit eos in reprobum sensum traditos esse, ut quos non pudet ignorantiam suam pro scientia omnibus obtrudere, & uenditare, quasi uero non pueri dolum hunc olfaciant. Nec interim dicta nostra quis interpretari debet de his qui falso docti uocantur, sed de ijs qui à Deo & ad gloriam Dei docti sunt, quorum multi in nascenti fuerunt ecclesia. De quibus est Pantonus, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Augustinus, alijq; quàm plurimi. SIMON.

Non deuiant à ratione quæ dicis. Neq; enim putandus est Christus talem simplicitatem cõmendasse, quæ quisq; ut est indoctior, hoc magis audeat, ut faciunt hi, qui quum uix Germanica quædã legere possunt, ingerunt tamen se ad docendi officium impudentissime,

me,

me, pro suggestu publico balbutientes ineptissime. Sed ne quid ignorare deprehendantur, incipiunt impudentiam suam huiusmodi uerbis excusare: Nihil uos offendat o fratres quod nihil sciam, manifestat enim se pater simplicibus & indoctis. Porrò quum Christus suis sapientiam & eloquentiam talem pollicetur quibus ne aduersarij quidē resistere possint, illi uero insignē quandam inscitiam sibi pro gloria ducunt, facile colligo, eos tales simplices nō esse, de quibus Christus loquutus est, sed eos potius, qui ouina pelle se tegunt, oues simulantes, intus cū lupi sint rapacissimi. Quod uero me in secunda cōclusionē offendit, rogo ut è medio tollas quantotius.

DE VOCATIONE AD MINISTERIUM & officium prædicandi contra eos qui sese inuocati ingerunt.

IOIADA.

Quod tu ex hac cōclusionē colligis, liberum sic non fore unicuique ut de deo loquatur, longe aberras, & mea non recte expendis. Ego de publicis contionibus, non de priuatis colloquijs loquor. Nam qui se ad publicum docendi munus ingerit inuocatus, non secus facit, quàm qui se sua sponte magistratum faceret, Senatū propriū constitue-

V.
TRACT.

ret & conuocaret, inciperetq; præesse & administra-
 re rempublicam, præcipiendo, uentandoq; quæcunq;
 liberent. Is certe hoc facere nequaquam posset, quin
 non solum stultitiæ & inobedientiæ, sed & tumultus
 & proditionis insimularetur. Alioqui nos nemini ne-
 gamus, quin de deo loquatur, legat, cantillet etiam iux-
 ta Pauli doctrinam Ephes. 4. Quoq; hoc fit magis,
 hoc melius iudicamus. At uero ab ecclesia se separare,
 syluas & latibula quædã quærere, ibiq; coetum con-
 gregare, sectas instituere, sibi officium docendi arro-
 gare, nõ solum nullum habet exemplum in sacris scri-
 pturis, sed ut hæreticum semper damnatum est. Sed
 hæc iam scripturis firmabimus. In epistola ad Roma.
 10. cap. Paulus sic docet: Quicumq; inuocauerit no-
 men domini saluus erit. Quomodo autem inuocabunt
 eum in quem non crediderunt? Quomodo autem cre-
 dent ei de quo non audierunt? Quomodo autem au-
 dient absq; prædicante? Quomodo autem prædica-
 bunt nisi missi fuerint? Ex his Pauli uerbis colligimus
 missionem in primis esse necessariam, quæ non pro-
 miscue omnium est. Nam Paulus 1. Cor. 12. dicit diui-
 siones uarias esse donorum. Et quemadmodum corpus
 unum est, & membra habet multa, omnia uero mem-
 bra corporis unius, nec tamen eundem actum habent
 in corpore, ita est in ecclesia et corpore mystico Chri-
 sti. Alios quidem posuit deus in ecclesia, primum apo-
 stolos,

Stolos, deinde prophetas, tertio doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, subsidia, gubernationes, genera linguarum.

Quod si munus docendi in ecclesia, omnibus ex æquo competeret, & promiscue omnium esset, Paulus dixisset, Posuit omnes apostolos, prophetas, doctores: sed dicit, Alios quidem posuit apostolos & c. Cur ergo audent sibi catabaptistæ hoc arrogare, & sese ultra ingerere, contra Paulum Hebr. 5. Nemo sibi ipsi usurpat honorem, sed qui uocatur à deo quemadmodum & Aaron: ita & Christus non semetipsum glorificauit, ut fieret pontifex, sed is qui dixerat illi: Filius meus es tu, ego hodie genui te: & alibi, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchizedek.

Hunc in modum testatur Ioannes Baptista de missione Christi Ioan. 1. & 3. Et de sua quoque missione idem Ioannes loquitur cap. 1. Ioannis: Fuit homo missus à deo, cui nomen Ioannes. Interrogatus deinde qua auctoritate doceret & baptizaret, ex Esaia & Malach. testimoniū suæ missionis adducit. Sic uocati, & missi sunt apostoli ex capite 10. et 28. Matthæi, ex ultimo Marci capite, ex 20. Ioannis. Paulus uocatum se ab initio omnium epistolarū suarum indicat, maxime in Galatarum epistola. Actorum 13. ipse cum Barnaba à spiritu sancto segregatur & ad prædicandum mittitur. Quin & in Mose ac prophetis missio semper

ostenditur. Contra eos uero qui inuocati currunt, & non missi prædicant, in Hieremia 23, dominus ita loquitur: Currebant sed non miseram eos.

Iam ergo conclusionem satis probatam arbitror, satisq; manifestum, catabaptistas in hoc non probe nec sancte agere, quum sese non missi ingerunt, quod à nullo unquam sanctorum factum esse legimus. SIMON. Quæ adduxisti non pugnant contra catabaptistas, nam sic se à patre per spiritum sanctum missos affirmant. IOIADA. Ad quid? aut quam ob rem? SIMON. Ad docendam ueritatem, ad prædicandum deum, et ad carpenda scelera & flagitia. IOIADA. Ex superioribus probatum erat, id quod tu affirmabas, idem à nobis quoq; fieri istis in locis ubi Euangelion prædicatur, quid ergo opus ista catabaptistarum missione? Ad ea loca in quibus euangelium prædicatur, non mittit deus qui errores plantent, qui dissidia excitent, qui diuersum doceant, qui ecclesias scindant. Hoc uero faciunt catabaptistæ, à deo ergo missi non sunt. Nā deus non est deus dissensionis, sed pacis & concordie 1. Cor. 14. SIMON. Omnino se à deo missos asserunt. IOIADA. Fortiter id quidem faciunt, sed minus uere. Nam & Satan in angelum lucis se trasformare nouit 2. Cor. 11. sed ob id non est bonus angelus. SIMON. An non Ioānis 3. scriptum est, Qui ex deo est

est uerba dei loquitur? Catabaptistæ uerbum dei prædicant, ergo sunt à deo missi. IOIADA. Et Arrius uerbum dei prædicabat, nempe, Pater maior me est, Arrius ergo à deo missus erat? SIMON.

Nequaquam. IOIADA. An non uerbum dei est, Pater maior est me? SIMON. Sed falso intellectum prædicabat Arrius uerbum dei, detorquens scripturas, ergo à deo non fuit missus. IOIADA. Idē faciūt & catabaptistæ, qui et ipsi à deo nō sunt missi, utcumq; uerbū dei se prædicare iactent, quod & omnes fecerunt hæretici. Et satan uerbo dei uitur Matt. 4. sed non consequitur eum à deo missum esse. Quod ex Ioānis capite tertio adduxisti, ad Christum proprie pertinet, qui quoniam ex deo uenit, diuinas & cœlestes res habet perspectissimas, quod Ioannes Baptista discipulis suis adprobare conatur.

SIMON. Catabaptistæ dicunt uos deprauatores scripturarum esse. IOIADA. Nihil refert quæ illi dicant, quos falsum dicere parum pudet, ut ex sequentibus magis liquebit. Nam quod hac authoritate ex cap. Ioan. 3. desumpta, & Christo solo aptata abutuntur, sibi attribuentes quod solius filij est dei, quis non uidet eos ueritatis esse hostes? Nō ignoramus quæ in nos illi euomant conuitia, quod fures, latrones, antichristos, falsos prophetas, & seductores uocant. Damus hoc impotentia carnis & affectibus, serimus hæc

ob Christum, & possumus hæc, si nobis occasio de-
 tur, uere expurgare, & ostendere ab eis hæc esse con-
 ficta. Sed eos à deo missos esse, id demum non conui-
 tijs, non maledicentia, sed alijs rebus probabunt ne-
 cesse est. SIMON. De his quid dicam non ha-
 beo, nisi quod ex ore eorum didici, eos à deo missos
 esse. IOIADA. Mihi non est dubium harum
 rerum expertes & ignaros esse homines istos, qua sci-
 licet uia deus uocet, & quæ uocationis & missionis
 signa sint. Qui enim à deo uocantur ac mittuntur, si-
 gnis aliquot sequentibus indicantur, ut uere uocatos
 ac missos adpareat, aut miraculis, aut uocatione ac e-
 lectione manifesta, in primis dexteritate, integritate
 uitæ, constantia, eruditione & scientia quæ huic offi-
 cio digna est. SIMON. Quid si hæc absq; ue-
 ritate & uerbo dei uobis fingitis? IOIADA.

Probabo ergo quæ dixi ex uerbo dei. Christus à di-
 scipulis suis iam abiens, misit eos in mundum, ut præ-
 dicarent euangelium omni creature, sed antequam
 hanc obirent prouinciam, manerent aliquousq; Hie-
 rosolymis, donec uirtute ex alto induerentur, missu-
 rus enim esset promissum patris spiritum in eos. Ac-
 cepto spiritu, simul linguarum peritiam & omnem
 scientiam acceperunt. Lucæ 24. Acto. 2.

Moses quum cunctaretur & uarias neceret ex-
 cusationes, in primis infantem & ineloquentem se ad
 hoc

hoc munus agnoscit, ad quod dominus erat missurus. Dominus uero pollicetur se in ore eius fore, quemad- Exodi 4.
modum & apostolis Matth. 10. 05 & sapientiam pol-
licetur cui resistere nemo queat. Paulus ad Timoth.
& Titum scribens de electione episcoporum, talens
querit, qui sit ad docendum aptus, qui potens sit ex-
hortari per doctrinam sanam, qui contradicentes re-
uincere ualeat, 1. Timoth. 3. Tit. 1. Vetat illic Paulus
ne quæ ex neophytis ad prædicandi munus admoueatur.

Hactenus de eruditione quæ in episcopo esse debet
testimonia scripturæ adduximus, iam de miraculis eor-
um qui mittuntur, quid habeant scripturæ audiemus.
Proferimus ergo signa Mosis in Aegypto, et innume-
ra quæ Actus apostolorum habent, manuum impositio-
nem, & quod uisibili specie spiritum sanctum recipie-
bant. Quod rite et publice eligi debeant mittendi, A-
ctorum caput primū adducimus de electiōe Matthiæ,
Actorum caput 7. de electione Stephani, Acto. 13. de
electione Pauli & Barnabæ. Actorum caput 14. do-
cet Paulum & Barnabam, quum per singulas ecclesias
presbyteros (Χηροτων ἠσχυταις) suffragijs creassent,
precatiq; essent cum ieiunijs, commendasse eos domi-
no in quem crediderāt. Iam uides Simon, apostolorum
temporibus non quemq; temere se ingessisse ad docen-
dum, aut obtrusisse nolentibus: nam si hoc, quid electio-
ne & manuum impositione opus fuisset? Sed electio

fiebat præcedentibus precibus & ieiunijs. Idem habetur in epistola ad Tit. 1. SIMON. Quid si cuncta hæc apud catabaptistas reperias? IOIADA. Ne mininum quidem, nõ ergo à deo sunt missi, sed libido eos impulit & impudens audacia. Quæ nam faciunt miracula? nisi forte hæc miracula sint, quod sanæ ac piæ mentis homines ad insaniam redigunt & dementes faciunt, quodq; simplicium pernasalitas & suspensas in carnario inuisibiles reddunt. De eruditione quid sperandum? ubi inscitia & (ut ipsi loquuntur) simplicitas docentiũ summa eruditio est. Taceo plerosq; esse inter eos, qui uix legere, ne dicam omnino nihil legere norint. An non tales nouitij illi sunt, quos Paulus reijcit? Sed huiusmodi homines illi præficiunt, qui per totam uitam biblia ne uiderunt quidem, sententiolas duntaxat quasdam non rite intellectas tenentes, quas illi undecunq; corrasas aut suffuratas, uel à ducibus suis haustas ad contentionem suam maledicentia sua detorquent. Et hi quidem inter simplices stant, patrem cœlestem & spiritũ subinde ingeminantes. Quibus tandem nominibus illos appellare cõuenit mi Simon? Apostolos uocare non possum, quum à deo non sint missi. Deinde non prædicant in eis locis, ubi de deo adhuc nihil prædicatum est, sed ubi populus per fideles ministros diu, multoq; labore uiam ueritatis est edoctus, ibi isti irrumpunt temere,

omnia

omnia uastantes, omnia peruertentes, & uelut procel-
 la aut tempestas concitantes omnia, simplicem plebe-
 culam ita perplexam reddentes ut nec finem nec ini-
 tium norint. Prophetas si quis uocet, is nihil aliud fa- 1. Cor. 14.
 cit quàm si suem aulædam dicat. Linguarum enim o- Aulædus
 mniū egregie sunt ignari, adeò, ut contemnant etiam, Tibicen est
 Germanica tantum cõtenti. Doctores si uoces, docen-
 di artem plane ignorant. Ad hæc ueritate, quæ potissi-
 ma & præcipua in doctore requiritur, sunt destituti.
 Sed forte episcopi uolunt dici aut pastores. Iam quero
 quis eos ad episcopatum elegit? Cur præstantissimis
 illis donis, quæ Paulus in episcopo requirit, adeò ca-
 rent, ut sint indocti, pugnaces, contentiosi, rudes neo-
 phytis? In summa nihil habent quod ad docendi munus
 attinet. Ex his ergo colligere licet catabaptistas tales
 esse qui sese miserint, perplexos, tumultuosos, conten-
 tiosos, & ambitiosos hæreticos. SIMON. Ele-
 cti sunt & missi. IOIADA. A quo? SIMON.

Ab ecclesia eorum. Ad hæc frater fratri manum im-
 ponit, simulq; potestatem dat. IOIADA. Hæc
 missio & electio pontificatus me admonet. Nam &
 pontifex Romanus inobedientia, uiolentia, & malis
 artibus in tantum fastigium sese euexit: mox mulio-
 nem, lenonem, cocum & militem quemq; episcopati-
 bus admouit. Quis uero docuit eos ecclesiam fide &
 charitate conglutinatam & compactam separare ac

scindere? Quum unus sit deus, una fides, unum baptisma, una ecclesia? Quis authores huius sectæ misit, ut nouam & separatam facerent ecclesiam? Certe emulatio, inuidia, lis, contentio, ambitio, auaritia & pertinacia? Hæc possem abunde probare, nisi prudens quibusdam parcerem. Ecclesia igitur eorum ecclesia dei non est, sed secta quædam & coetus hominum contumacium & inobedientium, apud quos tantum est iustæ electionis, quantum apud coetum aliquem perduellionum, qui deserto magistratu publico ducem aliquem temere arreptum sequitur.

Sed demus ecclesiam esse, errat tamen electione, quæ iuxta præceptum apostoli apud eos nõ est in usu. Donatus quoq; ecclesiã sibi propriã constituit, Novatus propriã, uterq; in Affrica, neuter tamẽ à deo neq; uocatus neq; missus, neq; ecclesiæ eorũ ecclesiæ erãt, sed cõuenticula hæreticorũ. SIMON. Quid de Pauli dicto cõses, 1. Cor. 14. ubi ex æquo omnib. ius prophetandi tribuit? IOIADA. Idem quod Paulus. Prophetæ duo uel tres (inquit) in ecclesia loqui possunt, cæteri audiant & dijudicent. Porrò si fuerit alij reuelatũ aßidẽti prior taceat. Mox ad hæc uerba sequitur: Potestis enim omnes singillatim prophetare, ut omnes discant, & omnes consolationem accipiant.

SIMON. Ex his uerbis satis liquet, quod Paulus non dat potestãtẽ cuilibet docendi qualibet, quum
duos

duos aut tres duntaxat nominat, cæteros audire ius-
 bes, & auscultare ijs quæ per prophetas ex scripturis
 proponuntur. Neq; ius facit auditoribus interrumpen-
 di sermonem prophetarum, nisi quatenus omissum ali-
 quid aut non rite enarratum fuerit ab interprete aut
 propheta. Consequitur omnino ex hoc, non decere ut
 aliquis interloquatur, si ueritas sufficienter est enarra-
 ta: tam abest, ut hoc prætextu quisq; errores suos inse-
 rat. Video ego huius rei cardinem in eo uersari, Si ne-
 cessarium est, si quid ab his, qui præsumunt prophete,
 omittitur quod omitti nullo modo debet, aut omissum
 nocet ecclesiæ, dictum uero ecclesiam edificat et con-
 solatur, potest ab alio quoquam indicari, seruata ta-
 men modestia & charitate. Quod si nihil deest, taceren-
 dum erit. IOIADA. Sensum genuinum capis.
 Nam mox sequitur: Spiritus prophetarum subijciun-
 tur prophetis. Non enim confusionis author deus, sed
 pacis: spiritus sanctus non ex affectu aut contentione
 neq; temere erumpit, sed tractabilis est, nec ob quam-
 uis leuem rem pertinaciter pugnat, patitur se doceri,
 sentientiq; meliora cedit. Sed ab his longe absunt ca-
 tabaptistæ, nihilominus spiritum iactantes, sed quem-
 admodum iudas apostolatum. Iacobus non abs re mo- Iacobi 3.
 net, dicens: Nolite plures magistri fieri fratres mei, sci-
 entes quod maius iudicium sumpturi sumus, nos scili-
 cet qui docemus. SIMON. Hic uero maiorem

mihī scrupum inieciſti. Quero enim ex te uter maior ſit, propheta ne cui ſpiritus ſubijcitur, an ſpiritus? ſi hominem dicis maiorem ſpiritu, uide ne mortali et fragili nimium tribuas: ſi ſpiritum, quomodo maior minori ſubijcitur? Quod ſi homini ſpiritum præfers ſimulq; ſententiam Pauli ueram eſſe uis, non intelligo qua poſſit id ratione fieri. Aut quo pacto poterit propheta maior eſſe ſpiritu qui propheta facit? IOIA

Spiritus ſan-
ctus pro ſan-
ctæ operatio-
ne ſpiritus
ſancti.

DA. Non abſurde quæris mi Simon. Sed hoc notan-
dū quod ſpiritū hoc in loco nō pro ſpiritu ſancto (qui
deus eſt) accipit Paulus, ſed pro donis aut operatione
ſpiritus. Sensus ergo eſt. Donū prophetiæ ſic eſt in po-
teſtate prophetæ qui id habet, ut & loqui & tacere
in coetu ſanctorum poſſit, quando & quatenus id au-
ditoribus ad ædificationem utile eſt. Non enim ſic ſpi-
ritu, quemadmodum inſani aut fanatici, impelluntur,
ut incondito quodam clamore ſimul omnes uociferen-
tur, & tumultuoſa quadā contentione obmurmurent.
Nam ſic nemo alium intelligeret. Spiritus enim dei mi-
tis eſt & placidus, non ad contentionem, non ad diſſi-
dium, ſed ad pacem impellens. Quapropter dicit: Po-
teſtis ſingillatim omnes prophetare, nō ſimul omnes.
Huic expoſitioni non abludit Theophilaſtus, qui ita
enarrat hunc locum: Spiritus, id eſt, quæ in te eſt gra-
tia ſpiritus ſancti, quæ te inuaſit operatio, ſubiecta eſt
alterius gratiæ qui eſt ad prophetandum impuſus,
id eſt,

id est, cedit, & auscultat. Sed iam, si placet, tertiam conclusionem adgrediamur. SIMON. Perplacet, tu uero incipe.

DE VNITATE ECCLESIAE AD-
uersus sectas hæreticorum.

IOIADA.

Non puto te quidquam dicturum esse contra tertiam conclusionem, nam quid dici poterit uerius, quàm Christum & apostolos in hoc totos fuisse, ut ecclesiam cõgregarent neq; unquam tumultuatos fuisse propter res externas aut temporales? Aut est aliquis qui diuersum dicere possit? SIMON.

VI.
TRACT.

Ego tibi hunc ilico ostendam, Christum nempe, qui se uenisse dicit, ut mittat non pacem, sed gladium.

IOIADA. Detorques tu uerba Christi. Nam hæc uerba non de ecclesia sua loquitur, quod hæc in se se dissideat, quemadmodum uos catabaptistæ tumultum excitatis in ijs ecclesijs ubi Christus & euangelium sincere prædicatur: sed Christus hic naturã infidelium exprimit, qui fideles persequuntur. Nam ubi cunq; Christus prædicatur, pijs obuijs ulnis eum recipiunt & amplectuntur, impij odio Christum & suos prosequuntur. Iam Christus hanc dissensionem gladium uocat, qui non inter pios est in ecclesia, sed infi-

deles hoc utuntur contra pios. An non Esaias dicit impijs nullam esse pacem? Piorum signum est charitas, pax, concordia. Quapropter beatos pronunciat dominus pacificos, & filios dei nominat, Matth. 5.

SIMON. Pacem & unitatem esse in ecclesia, facile concesserim, sed quod subijcis Christum & apostolos non esse propter res temporales tumultuatos, hoc tu fortiter dicis. IOIADA. Imò uere dico, aut tu diuersum ostende. SIMON. Acto- rum 15. capite sic legimus: Cum orta seditio & disceptatio esset non exigua Paulo ac Barnabæ aduersus Iudæos qui docebant circumcisionem: quis circumcisionem negabit rem externam esse? IOIADA.

Externas res intelligo eas quæ ad salutem nihil faciunt, corpus magis quàm animam respicientes, imò quæ corpori sunt necessariae, quæq; tempore consenscunt & consumuntur: qualia sunt, conditio, opes, & huius mundi elementa. Circumcisio autem nõ pro re externa tradebatur à falsis apostolis, sed ut necessaria ad salutem. Quam urgebant maxime ut seruaretur adeoq; tota lex. Hic oritur disceptatio de qua Act. 15. Alioqui Timotheũ circumcidit Paulus, pacis & tranquillitatis gratia, & ne offendat infirmos in ecclesia. Quum uero circumcisionem ut necessariam inciperent urgere quidam, reclamatione Paulus, nec patitur circumcidi Titum Acto. 16. Gal. 2. Hæc ergo seditio
quarum

quam tu huc trahis, maiorē causam habet quā rem
 externam. SIMON. Quomodo uero tu diuitias
 res externas dicis, quæ hominem excludunt regno
 cœlorum? Nam Christus facilius dicit esse ut Camelus
 per foramen acus transeat, quā diues in regnum cœ-
 lorum. IOIADA. Non latent nos falsa suspi-
 ria & Crocodyli lachrymæ, quas leues isti catabapti-
 stæ fundunt, quum diuitias damnant, non secus quā
 olim uulpes pira quæ consequi non poterat. Diuitiæ
 in se neq; bonæ sunt neq; malæ, usus uero malus aut bo-
 nas facit. Oculus enim tuus si simplex & lucidus fue-
 rit, totum corpus lucidum erit: si uero oculus tuus fue-
 rit nequam, totum corpus tenebrosus erit, Matth. 6.
 Si ergo diues fidelis est & pius, diuitiæ, quas habet,
 bonæ sunt, idq; propter usum bonum. Si infidelis est
 possessor diuitiarū, diuitiæ eius malæ sunt, Luca 16.
 Hos ergo taxat Christus, quum de Camelo & forami-
 ne acus similitudinem inducit. Innumeri fuerunt et in
 ueteri et in nouo testamento, qui in magnis diuitijs a-
 mici dei fuerunt non uulgares, Noë, Abraham, Loth,
 Isaac, Iacob, Iob, Ioseph etc. Et hi in medijs diuitijs syn-
 cero corde & summa cū fide deo adhæserunt, et re-
 gnum dei introierunt. Vide quid de hoc sentiat &
 scribat Paulus 1. Timoth. 6. Nihil ergo moror quid
 hic blaterent hypocritæ, quum diuites plurimum pro-
 desse & benefacere possint pauperibus, quæ occasio

deest his qui diuites non sunt. Quorsum ergo quod isti totum mundum turbant rebus friuolis & nihil necessarijs? Noui ego quosdam, qui si tanta haberent, quantis ex socordia sua & negligentia carent ac egent, mox uiam inuenirent, qua & iniustas diuitias et male partas iustificarent. SIMON. Mitto hæc. Rogo ut conclusionem tertiam tu mihi probes, fortassis aliquid hinc discā. IOIADA. Quod Christus propter res externas nihil turbarit, sed paci ac tranquillitati semper studuerit, Matthæi caput, 17. adducimus, ubi ad Petrum sic dicit: Ne simus illis offendiculo (his scilicet qui didrachma exegerunt) profectus ad mare, mitte hamum, & eum piscem qui prodierit primus, aperto ore illius inuenies staterem, acceptum eum da illis pro me & te. Capite 22. Matthæi, quum de censu persoluendo Cæsari interrogaretur, sic à tumultu cavit, ut deum & Cæsarem in responsione coniungeret, unicuiq; dare iubens debitum. Neq; damna bat eos qui accipiebant, rursus non beatos dixit qui da rent. Non dixit: Iure diuino nihil debetis, sed tamē date, ut illi qui recipit.

Ioannis 13. Christus discipulos suos sic docet: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, quemadmodū ego dilexi uos. In hoc omnes cognoscent quod discipuli mei sitis, si mutuum dilexeritis. Mox in longo isto sermone quem ad discipulos post cœnam habuit,

buit, præcipue de spiritu fidelium mentionem facit.
 Quumq; apostolos iã missurus esset, dicit: Pax uobis: 1o 2n. 20.
 sicut me misit pater, ita & ego mitto uos. Roma. 14.
 Paulus dicit: Regnum dei non est cibus neq; potus, sed
 iustitia, pax, & gaudium in spiritu sancto. Etenim qui
 per hæc seruit Christo, acceptus est deo, & probatus
 hominibus. Itaq; quæ pacis sunt sectemur, & quæ æ=
 dificationis, alius erga alium. In 1. Cor. 1. sic admo=
 net: Obsecro uos fratres per nomē domini nostri Iesu
 Christi, ut idem loquamini omnes, et non sint inter uos
 dissidia, sed sitis integrū corpus, eadem mente, eadem
 sententia, ne sint inter uos contentiones, ut alius se Ce=
 phæ, alius Pauli, alius Christi esse dicat. Num diuisus
 est Christus? num Paulus crucifixus est pro uobis? aut
 in nomine Pauli baptizati estis? Quū uero sic dicitis,
 an non adhuc carnales estis? Ad hæc consyderentur
 quæ cap. 12. Paulus scribat ad Corinthios, ad concor=
 diam & charitatem exemplo corporis & membro=
 rum urgens. In cap. 14. claris ac disertis uerbis dicit,
 deum non esse authorem dissensionis, sed concordie
 et pacis, quod uidere liceat in omnib. ecclesijs fidelium.
 Ad Ephes. 4. hortatur Paulus ut ambulemus ita, ut di=
 gnum est uocatione, qua uocati sumus, cum omni sub=
 missione ac mansuetudine, cum animi lenitate, toleran=
 tes inuicem per charitatem, utq; studeamus seruare u=
 nitatem spiritus per uinculū pacis. Vnum corpus (in

LIBER I.

quit) & unus spiritus, quemadmodum & uocati estis
in una spe uocationis uestræ. Vnus dominus, una fides,
unum baptisma, unus deus & pater omnium, & c.

Ad Philip. 2. pari studio Paulus fideles hortatur,
ut similiter sint affecti, eandem charitatem habeant,
unanimes sint & idem sentientes, ut nihil fiat inter
eos per contentionem, aut inanem gloriam, sed per hu-
militatem animi alium quisq; se præstantiorem existima-
met, ne sua quisq; spectet, sed unusquisq; quæ aliorum
sunt. An hoc non est satis testimoniorum? SIMON.

Quid uero hæc ad catabaptistas? IOIADA.

Plurimum, quum catabaptistas tumultuum auctores
esse ostendant. SIMON. Quid hoc?

IOIADA. Quod hi contra morem apostolorum
dissidia & contentiones in ecclesijs faciunt, duntaxat
propter externa quedam. SIMON. Sed
& de deo et fide multa docent: quæ sunt ergo illa ex-
terna propter quæ ecclesiam dicuntur scindere?

IOIADA. Si nihil aliud prædicarent quam
de deo, de fide, & charitate ac innocentia, nihil opus
esset ista separatione. Nam hæc in nostris quoq; eccle-
sijs docentur, ut nihil necesse sit illos prædicare. Sed in
hoc separant, quod docent supra prædicta, opus esse
nouo quodam baptismo, Christianum nõ esse qui cen-
sus aut reditus accipiat, Christianos à decimis liberos
esse, Christianum non posse gerere magistratum, Ne-

minem

minem posse nec debere prestare iusiurandum. Diuitias adimunt Christianis. An non hæc quæ recensui externa quædam sunt? An non rursus propter hæc eadem ecclesias scindunt & turbant? Non potes ergo inficiari catabaptistas eos esse, qui propter res externas ecclesias turbant & scindunt. Præter hæc suos ad hoc adstringunt, ne apud eos uerbum dei audiant, apud quos paruulorum baptismus, census, decimæ, iusiurandū, magistratus, diuitiæ bona censentur. Iam in memoriam reuoca quæ supra ex Christo & apostolis testimonia citauimus, & expende, an eorum separatio apostolica sit an seditiosa. SIMON. Nihil refert quod tumultuosos illos adpellatis, hoc Christo et apostolis quoque contigit ut seditionis & tumultus insimularentur. In hoc uero laudant deum, & gratias agunt quod digni habiti sint pro nomine Iesu ut patiantur. Nimirum memores illius quod Christus dixit: Beati estis quum uos maledixerint homines, & dixerint omne malum aduersus uos, gaudete & exultate quoniam merces uestra copiosa est in cælis. IOIADA.

Cur uero tu omittis quod Christus, dum hæc diceret, adiunxit? SIMON. Quid omisi? IOIADA. Mentientes (inquit) propter me. Quod catabaptistas tumultuosos dicimus, non propter Christum fit. Non enim in hoc tumultuosi dicuntur quod Christum confitentur, sed quod ecclesias Christi optime

constitutas & pacatas, propter prædicta scinduntur, quod nec Christus nec apostoli unquam fecerunt. Nec mentimur dum eos tumultus & seditionis insimulamus, nam res manifestior est quam ut negari possit. Qui uero hoc Christo & apostolis impingebant, mentiebantur, nec uerum dicebant, quod ex cap. 23. Lucæ, ex Actorum cap. 16. & 24. clare patet. Erant certe qui falso de illis dicerent, quod tributa negarent data esse Cæsari, quod seducerent turbas, quod turbas excitarent. Sed hæc uera non erant, nam neq; Christus neq; apostoli hoc fecerant, sed potius diuersum docuerant. Catabaptistæ uero quoniam magistratui repugnant & ordinationem à deo abolere conantur, recte tumultuosi & seditiosi, imò hæretici nunciantur. SIMON. Vellem, si abs te impetrare possem, ut tam horrendum uocabulum premeres, nam ad hanc uocem, quoties audio, obstupesco. IOIADA. Hæreticum quum dico, non eum intelligo, quem uulgus indoctum concipit, sed sectarum auctorem, qui ecclesiam scindit, qui falsa et erronea doctrina pertinaciter pergit unitatem ecclesiæ infringere, fâtzet zer & turbare. Adparet Germanos uocem suam fâtzet trenner ab Hebræis esse mutuatos. Hebræis enim Fetzer sepa zerrysser rare significat.

Sed plura adferam testimonia quibus conclusionem meam firmem. SIMON. Auidus expecto.
IOIADA.

IOIADA. Acto. 20. Paulus episcopus Mileti congregatos sic alloquitur: Attendite uobis & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos ad regendū ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego enim noui hoc, quod ingressuri sint post discessum meum lupi graues in uos, non parcentes gregi. Et ex uobisipsis exorientur uiri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Vides hic ingenium hereticorum, scindere ecclesiam, separare & sibi assecclas facere, gregi nō parcere, discordias seminare, peruersa docere, post se homines trahere, partes, sectas, et factiones instituire, propriam constituere ecclesiam.

SIMON. Hæc tela ferè tangunt catabaptistas, nam omnino scindunt ac singulare quid statuūt. Sed habēs ne plura testimonia? IOIADA. Romanos monet Paulus his uerbis: Obsecro uos fratres, ut *Roma. 16.* consideretis eos qui dissidia et offendicula contra doctrinā, quam uos didicistis, gignunt, & declinetis ab illis. Nam qui eiusmodi sunt, domino nostro Iesu Christo non seruiunt, sed suo uentri, & per blandiloquentiam & assentationem decipiunt corda simplicium.

SIMON. Hac auctoritate catabaptistæ quoque utuntur, sed contra uos. IOIADA. Expende ergo mi Simon, quam uere id in nos iaciant. Vbi enim nos ecclesiam Christi unquam scidimus, quod ipsis proprium est? Vbi nos tanta offendicula ecclesijs po-

e

fuimus? quum ipsi innumeros ita perplexos reddiderint, ut ab euangelio abhorreant, & neq; nobis neq; ipsis credant.

Qui blandiloquentia seducunt, & uentri suo seruiunt, hos graphice magis exprimit Paulus Philip. 3. his uerbis: Nam complures ambulat, de quibus saepe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum deus uenter, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Tu iam iudica mi Simon, in quos magis haec quadrent, in catabaptistas an in nos: illi semper clamant contra decimas, census, diuitias, iusiurandū, magistratus, proprietatem rerum: nos fidem urgemus, uitae innocentiam, charitatē, et quod omnibus rebus bene utantur homines ut donis dei. Quis magis gloriatur rebus probrosis quàm illi, nempe catabaptismi, desertionis suorum, & socordiae, in qua sic circumuagantur ignaui? Atq; ex his quae ipsi urgent semper tumultus et seditiones natae sunt, bella, latrocinia & uastationes. Intelligis ut opinor quos Paulus uentres adpellet, & hostes crucis Christi. SIMON. Si quid testimoniorum plus habes, peto ne me celes. IOIADA.

De ecclesiae unitate contra catabaptistas insignis est locus ad Hebraeos 10. ubi Paulus sic ait: Consideremus nos inuicē, in hoc ut prouocemus ad charitatem & bona opera, non deserentes aggregationem nostram
mutuam,

mutuam, sicuti mos est nonnullis &c. Quid uero aliud agunt catabaptistæ, quam propter quorundam uel imbecillitatem, uel (ut ipsi aiunt) impietatem ecclesias deserere, ceterosq; ut deserant adhortari? Sed ad quartam conclusionem iam accedamus, quæ plane ostendet catabaptistas falsos esse prophetas, & hostes crucis Christi. SIMON. Propone eam, ut audiam qualis sit. IOIADA. Falsi sunt prophetae quicumq; asserunt, Christum duntaxat originale peccatum aboleuisse. Falsi sunt prophetae, qui illis gratiam & peccatorum ueniam negant, qui post agnitam ueritatem in peccatum uel errorem relabuntur. Falsi prophetae sunt, qui operibus nostris salutem tribuunt. Hos articulos dum catabaptistæ docent, non solum hostes sunt crucis Christi, sed Christum insuper negant.

SIMON. Haudquaquam ista faciunt. IOIADA. Etiam si ore non dicant Christum non esse, tamen re ipsa uirtutem & uim Christi ac mortis eius negant, ut Petrus dicit 2. Pet. 2. dominum qui illos mercatus est abnegantes. An non idem est, si quis dicat Christum non esse, aut istud non esse propter quod Christus uenit? Christus uenit ad tollenda peccata nostra, quod si non fecit, Christus non est. Si pro his tantum mortuus est qui in uetri testamento fuerunt non etiam pro nobis, seruator noster esse non potest, & quomodo Christus est? Quod si opera nostra nos seruant, frustra mortuus

est Christus. An non uides unde emicent nobis hostie
crucis Christi?

QVOD CHRISTVS PASSVS SIT
non duntaxat pro originali peccato.

S I M O N.

VII.
TRACT.

Vide ne nimis temere adcules catabaptistas. *Et*
semper fuerunt qui diceret Christum pro
tantum passum esse qui ante eum fuerunt, pro
patribus nempe qui sub testamento ueteri uixerunt
peccatum duntaxat originale in nobis expiasset, qui
uero post istam purgationem nos committimus, nostri
operibus dilui oportere. IOIADA. Si ita est
hactenus docti, si ita credidistis, cur ergo Petrus Ab
hardus pro heretico habetur, & à sancto Bernhar
dus in Concilio Senonensi ad palinodiam adigitur? Is enim
non ab similia illis docuit. SIMON. Hæc me
rum mouent. IOIADA. Hoc reprehensionem
dignum, quod uos catabaptistæ nec noua nec ueteri
scitis, nihilominus uultis esse doctores. Quanta ha
audacia? Quam uero sit uanum, quamq; uirtutem pa
sionis Christi hoc dogma uestrum eneruet, ex scriptu
ris sacris ostendemus. Ioannes Baptista agnum Chri
stū digito monstrans, ait: Ecce agnus dei qui tollit pe
ccatum mundi. His alijsq; uerbis scripture proponit

Ioan. 1.

tur Christus expiatio pro peccatis totius mundi. Aut potes tu dicere duntaxat patres ueteris testamenti mundū esse? SIMON. Minime. Sed dicit peccatum non peccata. IOIADA. Ioannes hac diōtione (peccatum) utitur, quemadmodū (mundo.) Nam per mundū quidquid mundanum est intelligit. Sic per peccatum intelligit quidquid peccare nominari potest, genere pro speciebus utens. Nam tollit dicit, non tulit neq; tollet, ut tollit actum significet, non tempus. Quæcunq; enim peccata tolluntur, per sacrificium Christi in cruce per actū tolluntur. SIMON.

Clariora adferas testimonia necesse est, nam hæc facile conuelli possent. IOIADA. Satis firma est hæc & clara authoritas, nec ullis contradictionibus subuerti potest. Sed ut intelligas nos egenos non esse, lege Paulum Roma. 5. & intelliges uirtutē mortis Christi à uobis eneruari.

Et non sicut per unū qui peccauerat uenerat mors, ita donum. Nam condemnatio quidem ex uno delicto ad condemnationem, donum autem ex multis delictis ad iustificationē. An non hæc uerba, ò Simon, satis euincunt, Christum morte sua non unum tantum peccatum, sed omnia expiasse? Sed lege totum caput & melius intelliges.

Ad Collos. 2. de Christo sic loquitur Paulus: Et uos (inquit) cum essetis mortui per delicta, & per præ-

putium carnis uestræ, simul cum illo uiuificauit, con-
 donans nobis omnia delicta. Quoniam in illo inhabi-
 tat omnis plenitudo deitatis corporaliter, & estis in
 illo completi. Quod esse haūquaquam posset, si non
 omnes nos & totos abluisset ab omnibus peccatis,
 Contrarium clare patet ex Hebræorum epistola cap.
 10. Hic, inquit, una pro peccatis oblata uictima, per
 petuo sedet ad dexteram dei: unica enim oblatione
 perfectos reddidit in perpetuum eos qui sanctifican-
 tur. 1. Ioan. 1. Sanguis Christi emundat nos ab omni
 peccato, 1. Ioan. 2. Si quis peccauerit aduocatū habe-
 mus apud patrē, Iesum Christū iustū, Et ipse est propi-
 tiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem
 tantum, sed etiam pro totius mundi. Si Christus origi-
 nale tantum peccatū abstulisset, Ioannis testimonium
 uanum esset. Si uero pro nobis mortuus non esset Chri-
 stus, sed pro his duntaxat qui ante eum fuerunt, quid
 ad nos Christi mors? cur hanc confiteremur si ad nos
 nihil attineret? An nondum uides qui sint falsi prophe-
 tæ, crucis Christi hostes, et euersores fidei Christianæ?

SIMON. Satis uideo, & contentus admodum
 quantum ad istum articulum pertinet. Sed quod re-
 lapsis gratiam negant & poenitentiam, ex Hebræis
 cap. 6. & 2. Petri 2. probant firmissime.

Et certe quantum ego uideo satis commode de hoc
 loquuntur, quod scilicet amplius non uiuamus in car-
 ne, quod

ne, quod post hac non peccemus, quod optimum fore
puto si ita uiueremus. Nam illi hoc studiose faciunt.

QVOD PECCATORI ADITVS

sit ad gratiam, quoties resipiscit: & quod
nemo sit absq; peccato.

IOIADA.

Prob deum immortalem quod tam misere sibi
poculos praestringi patiuntur simplices. Si Me-
nander & Simon redirent, credo assecclas essent
reperituri, quum Nouati & Catharorum secta ac hæ-
resis tantum fidei apud multos reperit. SIMON.

VIII.
TRACT.

Quid hæc sibi uolunt? IOIADA. Quod di-
cti heretici circa annum M. CC. idem docuerunt,
quod tu de catabaptistis attulisti. Relapsis enim omnē
gratiā negabāt, arrogabāt sibi uitæ puritatē, propriā
congregabant ecclesiā, nullam cōmunionem cum pec-
catoribus habere uolentes. Interim arrogantia, inui-
dia, odio, contentione, auaritia, intemperantia uitæ
mortales omnes uincebant. Sed de hoc uide Cypr. epi-
stola 4. ad Antonianū. Catabaptistæ, si rem pœnitius
consyderes, omnino Catharis similes sunt, idem cum
illis docēt, suspecti ergo sint tibi. Non potest is uerum
docere nec iustus esse, qui cum manifestis hereticis ui-
ta, moribus, conuersatione & doctrina consentit. Aut

c 4

quomodo tibi probari possunt hi, quos pij quique semper sunt auersati? SIMON. Ego Catharos nihil moror, nec scio qui sint Cathari. Quod uero catabaptistis hac in re assentior scripturae me cogunt. Non ergo ipsis, sed scripturae credo. IOIADA.

Hoc est quod dixi, & iam repeto, nihil esse quod catabaptistas in errore & audacia magis confirmet quam ignorantia. Quod si historias legissent, & uetera gustassent, modestiores & minus confidentes essent futuri. An non misera res est imò periculosa, quod homines tam rudes, tam omnium rerum inexperti, doctores esse uolunt? Quo fit ut omnia corrumpant, confundant, ac subuertant, nam scripturas non rite intelligunt. Quod Paulus ad Hebr. 6. & Petrus scribunt, non probat hoc quod catabaptistae uolunt, sed quod his, qui à fide deficiunt & per infidelitatem de misericordia dei per Christum desperant, nulla sit remissio. Nam hi in spiritum sanctum peccant, quod peccatum neque hic neque in futuro saeculo remittitur, ut docet Christus Matth. 12. & 1. Ioan. 5.

Sed tu mi Simon uerba apostolorum Pauli & Petri ipse discute & expende, & considera in quem usum dicantur, nempe impossibile esse quod is excidat qui semel recte credidit. Petrus cum ceteris à Christo interrogatus, an & ipsi essent abituri, respondit: Domine ad quem iremus, uerba uitae aeternae habes. Et nos cognouimus

2. Pet. 2.

cognouimus & credimus quod tu es filius dei. Quod si quis plane excidit à fide, is iam testimoniū certum de se præbet, se fidem ueram nunquam habuisse.

Exierunt inquit Ioannes ex nobis, sed non fuerunt 1. Ioan. 2. ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Qui ergo à cognita ueritate deficit, hic salutem nullam habet. Sed quare? quod unica duntaxat salus est nempe Christus, à quo ipse per fide desciscit, & aliam salutem inuenire nunquam potest. Intelli- Hebr. 10. gis (ut opinor) casum (de quo Paulus dicit) non esse lapsum qui quotidie fit in pijs ex carnis imbecillitate, sed desperationem extremam et perfidiam per quam homo à deo deficit. Lege cap. 7. & 8. ad Hebræos, et uidebis lapsis quotidianam remissionem non negari. Nam sic loquitur etiam in 5. capite Christum pontificem esse qui possit nostris infirmitatibus compati, qui nobis ad eū sit, facta nobis ad id libertate, Hebr. 10.

SIMON. In 12. capite Paulus docet Esau non reperisse locum poenitentiae, quum hanc lachrymis postulasset. IOIADA. Apostolus hoc in loco non de poenitentia aut remissione peccatorum loquitur, sed de electione, & reparatione primogeniturae, quam quum per gulam et intemperantiā amisisset semel, impetrare postea non potuit, utcumq; clamore et lachrymis id tentaret. Nam Iacobius primogenitorum emerat & præriperat, Nihil ergo hic de intera

na peccatorum remissione. Et saepe in aliam significationem trahitur hæc dictio, pœnitentia. Sed his telis usi sunt & Cathari, idq; adeo ut ex pijs quidam infirmiores epistolam ad Hebræos suspectam horrerent, quemadmodum & nostra ætate quidam Iacobi epistolam. Sed uenio iam ad Petri authoritatē qui sic dicit: Melius fuisset illis, non cognouisse uiam iustitiæ, quam ubi cognouerunt conuerti ab eo quod illis traditum fuit sancto præcepto. Verum accidit illis id, quod uero prouerbio dici solet: Canis reuersus ad uomitum, & sus lota reuersa ad uolutabrum cœni. Si hæc uerba recte expendis inuenies hic dici de perfidia & infidelitate, à qua dum semel per fidem uocati erāt, rursus à deo defecerunt ad priorem infidelitatem. Videmus ergo perfidiā esse quæ ubiq; damnatur. SIMON.

Sed quid de isto dicis, quod illi asserunt nos non uere in carne? IOIADA. Caro nobis in sepulchrum usq; adheret. Nam caro spiritui aduersatur, et rursus spiritus carni repugnat, ut faciamus quæ non uolumus, Rom. 7. Audacia ergo est summa sibi arrogare & de ijs gloriari quæ apostoli sibi nunquam arrogarunt, et de quibus nunquam sunt gloriati. Nam Paulus queritur de carne sua, qui plus spiritus habuit, plus carnē domare satagit, q̄ catabaptistæ omnes. Ad huc audent dicere se non esse in carne, fortasse ob id quod nihil sunt quàm caro, hoc est, toti carnei, affectibus

In carne sūt
fideles, sed
non uiuunt
secundum
carnem.

bus omnibus immerſi, quod ex eorum uita palam fit. Sed rectius & ſanctius breui ſumma Paulus totum hoc negotium colligit: Itaq; idem ego mente quidem ſeruo legi dei, carne uero legi peccati. Latius hæc & clarius perſequitur in octauo cap. Roma. & Gal. 5.

Oſtendit autem breuiſſimis uerbis eos in carne uiuere, qui deum non metunt, cœleſtia non curant, ſed terreni ſunt toti. Hic uero in ſpiritu uel ſecundum ſpiritum ambulat, qui tametſi carnalis eſt, hoc eſt, morbum & infirmitatem habet & ſentit, ad ſectibus titillatur, tamen carni & peccato habenas non laxat, ſed continue repugnat, et cauet ne unquam cadat. Quod ſi contingit cadere, mox pedem retrahit et reſipiſcentiam meditat. SIMON. Illi uero perhibent hominem poſſe ſine peccato eſſe. IOIADA.

Sumus abſq; peccato, quemadmodum canes ſine pulicibus in menſe Auguſto. Proh pudor quod hæc cogitant, aut quod ſibi hoc arrogant, taceo quod euangelij ueritatem hæc aſſertione infamant, imò gratiam et miſericordiam dei omnino tollunt. Nam ubi non eſt peccatum, ibi non eſt gratia: ubi non eſt præuaricatio & tranſgreſſio, ibi non eſt remiſſio. Apud illos non eſt tranſgreſſio, ergo gratia dei non eſt apud illos. An hoc non eſt gratiam dei euacuare? Quid dicam, quod in nouam heresiſm inſani homines cadūt? Pelagij nempe blaſphemus hominis, qui gratiam dei negabat, ho-

Quid ſit ſecundum carnem uiuere.

ſ. mel
ſ. mel
ſ. mel
ſ. mel

ſ. mel
ſ. mel
ſ. mel

minis uires magnificiebat. Is uixit ante annos M. C.

SIMON. Sed scripturis hæc probant. IO-

IADA. Veritas scripturæ hoc non habet: deinde
exëplo caret, nisi Luciferi exemplū adferas, qui Deo
uolebat esse similis, quemadmodum illi sine peccato
esse uolunt, quum nemo purus sit & absq; peccato

1. Ioan. 3.
2. Ioan. 5.

quàm unus deus. SIMON. An non Ioannes di-
cit: Qui ex deo natus est, non peccat? IOIADA.

Ad mortem non peccat. SIMON. Sic tu

quidem exponis. IOIADA. Expende quæ præ-
cedunt, & intelliges me uera dicere. SIMON.

Quod nam peccatum hoc est? Aut non est homo
sine peccato, quando ad mortem non peccat? IO-

Ioan. 8.
Quid sit pec-
catum ad
mortem.

IADA. Christus dicit ad Iudæos: Si non credideri-
tis, moriemini in peccatis uestris. Infidelitas ergo pec-
catum est ad mortem. Si uero fidelis sine hoc peccato,
id est, sine incredulitate fuerit, non tamen sine morbo
est, à quo subinde caueat necesse erit, ne usquam in
peccatum demergatur, aut sorde peccatorum capia-

Quomodo
fidelis non
peccet.

tur & commaculetur. Et ob id in Ioanne sequitur: Sci-
mus quod omnis qui natus est deo non peccat, sed qui
genitus est ex deo, seruat seipsum, & malus ille non
tangit eum. Sic ergo pius non peccat, hoc est, etiam si
ex infirmitate carnis cadit, tamen Satan ille malignus
eum capere non potest. Custodia enim & studium il-
lud quod pius habet ut non cadat (fides scilicet) facit,
ut pec

ut peccatum pro peccato non imputetur. Rom. 8. Nul-
 la condemnatio his qui sunt in Christo Iesu, qui non
 iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum. Alioqui
 idem Ioānes in eadem epistola dicit: Si dixerimus, pec- 1. Ioan. 1.
 catum non habemus, nos ipsos fallimus, & ueritas in
 nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis et Omnes su-
 iustus est deus, ut remittat nobis peccata nostra, & mus peccato-
 emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, nō pec- tores.
 cauimus, mendacem facimus eum, & sermo eius non
 est in nobis. Eius generis multa sunt passim in scriptu-
 ris. Dauid clamat: Domine ne intres in iudicium cum Psal. 143.
 seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo o-
 mnis uiuens. Itē: Si peccata obseruaueris domine, quis Psal. 130.
 sustinebit? Esa. 43. dominus per prophetā ad Iudæos,
 qui sibi in iustitia legis placebant, sic loquitur: Ego
 sum, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter
 me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc
 in memoriam, iudicemur simul, narra si quid habes,
 ut iustificeris, pater tuus primus peccauit, et interpre-
 tes tui præuaricati sunt in me. Nemo, uel ex sanctissi-
 mis, sine peccato fuit unquam. Manifestum fit hoc in Nemo sine
 Adam, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Mose, Aarone, uit.
 Dauide, Iosia, Ezechia, Petro, Paulo, Matthæo &c.
 Vere ergo loquitur Iob cap. 9. Quantus sum ego ut
 respondeam ei, & loquar uerbis meis cum eo? qui et-
 tiam si habuero quidpiam iustitiæ, non respondebo,

sed iudicem meum deprecabor: si iustificare me uolue-
 ro, os meum condemnabit me: si innocentem ostende-
 ro, prauum me comprobabit &c. Roma. 3. Paulus di-
 cit: Omnes peccauerunt & egent gloria dei. Ioannis
 13. Christus dicit: Qui lotus est non indiget nisi ut pe-
 des lauet, sed mundus est totus. Si totus mundus est,
 quid ergo opus ut pedes lauet? Si lotionem pedum opus
 habet, quomodo totus mundus est? Per sanguinem er-
 go Christi cruce fusum loti & expurgati sumus à sor-
 de peccatorum, & sumus plane mundi. Neq; tamen
 ex hoc sequitur, quod iam nō simus amplius in carne,
 quod non simus amplius peccatores, manent enim reli-
 quia quaedam peccatorū in pedibus, id est, affectibus
 nostris. Pedes ergo, id est, affectus, donec hic uiuimus,
 & in puluerulenta & sordida uia ambulamus & pe-
 regrinamur, contaminantur sordibus peccatorum,
 quos perpetuo studio et quotidiana cura lauare neces-
 se est, deinde maximo dolore, displicentia & lachry-
 mis in uirtute passionis et mortis Christi sordes exter-
 gere. Proinde Christus Ioan. 15. ait: Ego sum uitis uera,
 & pater meus agricola est. Omnē palmitē in me nō fe-
 rentē fructū tollet, ferentē fructū purgabit ut plus fru-
 ctus adferat. Ex quibus uerbis intelligimus, quod nos
 qui in Christum per fidē, ueluti palmites uiti, insiti su-
 mus, fructū ferimus et sancte uiuimus, nihilominus quo-
 tidiana purgatione opus habemus, idq; per spiritū et
 uirtutem

uirtutem Christi. Quod purgatur, immundum & im-
 purum sit necesse est. Sic nos qui in Christo iam su-
 mus, quotidie purgamur, nam in multis offendimus o-
 mnes, & nemo uiuit qui non peccet, et qui purgatio-
 ne nõ egeat. Nisi catibaptistæ suo lauacro sic fiant pu-
 ri per aquam qua tingunt suos, et quod aqua apud eos
 tollat, quod sanguis Christi in pijs non tollit. SI-
 MON. Nondum probatũ uideo, quod is qui post
 agnitam ueritatem relabitur, quotidie inueniat gra-
 tiam. IOIADA. Ex Ioanne satis est probatũ,
 deinde exemplo Dauidis & Petri. Nam si peccato-
 res sumus omnes, & nihilominus in regnũ cælorum
 introimus, quo nihil immundum ingreditur, conse-
 quens est nobis peccata remitti. SIMON. Non
 nego nos omnes fuisse semel peccatores, & ea pecca-
 ta nobis semel per Christum fuisse remissa, sed hoc uo-
 lo, posteaquam peccata nostra quæ per ignorantiam
 designauimus, nobis per gratiam dei sunt remissa, &
 nos iam accepti sumus per gratiam Christi in nume-
 rum filiorum dei, ut simus puri, sancti, et immaculati,
 peccandũ nobis haudquaquam esse. Nam si ultro post
 agnitam & receptam gratiam peccauerimus, pecca-
 tum illud nunquam remitti. IOIADA. Sed ex
 supracitatis scripturæ testimonijs satis intelligere po-
 tuisti, quod etiam post agnitam & receptam gratiam
 adhuc peccatores sumus, & quod ista peccata, quæ;

Hebr. 11.
Rom. 14.

dum in Christo sumus, committimus, nobis quotidie remittuntur. Nam Christus omnino suos mundos pronunciat, sed quibus necesse sit pedes lauare. Deinde pater purgat palmites qui fructum ferunt in Christo. Si fructum ferunt, in fide & agnita ueritate fructum ferunt (Nam sine fide impossibile est, ut quis deo placeat, & quidquid extra fidem sit peccatum est, non fructus) Si purgantur, aliquid sordis in agnita ueritate contraxerunt. Nam alioqui mundi essent et purgatione nihil haberet opus. Quum uero purgantur, sordes quas contrahunt dum fructum ferunt remittuntur & abluuntur. Hanc ueritatem neq; Pelagius neq; Nouatus neq; ullus catabaptistarum couellere potest.

SIMON. Non procul absum ab hac sententia, attamen malletm audire clara testimonia, quod homini aditus ad gratiam pateret, quoties peccauerit.

IOIADA. Et hæc tibi supra priora ostendere possum. Per Ezechielē sic loquitur dominus: Quum auerterit se impius ab impietate sua quā operatus est, & fecerit iudicium & iustitiam, ipse animam suam uiuificabit, omnium iniquitatum suarum quas operatus est, non recordabor. Nunquid uoluntatis meæ est mors impij, dicit dominus deus, & non ut conuertatur à uijs suis & uiuat? Conuertimini, & agite poenitentiam, ab omnibus iniquitatibus uestris, & non erit uobis in ruinam iniquitas. Ioëlis 2. Conuertimini ad dominum

minum deum uestrū, quia benignus et misericors est,
 patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super
 malitia. SIMON. Quæ tu adducis de impijs
 intelliguntur, & de remissione peccatorum quæ illis
 fit, qui deum nunquam cognouerunt, qui in deum
 nondū crediderunt. IOIADA. Vellem ut peni-
 tius uerba Ezechielis expēderes, uideres nimirū eum
 ad Israëlem loqui, ad populū dei electū. Expende de-
 inde quo sine propheta caput hoc claudat. Quare mo-
 riemini (inquit) domus Israëls? Nolo mortem peccato-
 ris, reuertimini & uiuite. Aut potes tu reuerti ad ali-
 quem, apud quē antea nunquam fuisti? SIMON.

Haudquaquam, sed ad illum uenio, non reuertor.
 Apud quem uero antea fui, & à quo discessi, ad eum
 tandem reuertor. IOIADA. Consequitur er-
 go eos apud dominum aliquando fuisse, qui à prophe-
 ta, ut redeāt ad dominum, adhortantur. Si prius apud
 dominum fuerunt, ergo peccatum eorum non est pri-
 mum illud quod ante agnitam ueritatem patrarunt,
 sed hoc peccatum quod in agnita ueritate & fide pa-
 tratum est. Euicimus ut puto, & ea peccata remitti à
 deo, quæ post agnitam ueritatem patramus.

In Prouerbijs cap. 24. sic scribitur: Septies in die ca-
 dit iustus et resurget, impij autē corruent in malū. Hic
 clarū discrimen habes inter impiū & iustū, uel inter Impius,
 fidelē et infidelē. infidelis dum in profundum pecca-

Pius. torum uenit, contemnit, in finem usq; in peccatis manet, & desperat. Pius uero non is est qui non peccat, sed qui cadit septies in die, at non manet in peccatis, sed mox resurgit. Vrgentur hoc testimonio Pelagian & Nouatiani, item catabaptistæ. Huc confer caput Matth. 18. & 17. Lucæ, ubi Christus disertis uerbis dicit: Si in te peccauerit frater tuus, corripe eum inter te & ipsum, si pœnituerit, remitte illi. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, remittes illi. **SIMON.**

Sed non dicit se remissurum esse nobis peccata.

IOIADA. Scis orare? **SIMON.** Scilicet.

IOIADA. An non ergo sic oras: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris? His uerbis in Matthæo cap. 6. dominus mox subijcit: Si remisistis hominibus errata sua, remittet & uobis pater uester cœlestis. Quandoquidem ergo nos quotidie fratribus nostris remittimus, consequitur, quod pater cœlestis nobis etiam quotidie remittit. An non sic orant omnes sancti, idq; quotidie? Quæro iam ex te an sic orando coram deo mentiatur nec ne?

SIMON. Minime mentiuntur. **IOIADA.**

Si non mentiuntur, ergo debitum, id est, peccatum habent. Quod si peccatum (ut tu putas) non remittitur, cur ergo nos ita orare docet, Remitte nobis debita nostra? An non turpe hoc est eum uelle doctorem imperitorum

peritorum esse, qui ipse quid oret non satis intelligit?
Deinde docere quod cum manifesta ueritate, et quotidianis sanctorum precibus pugnat.

Remissionē
peccatorū
esse in eccle
sia per Christi
sum omni-
bus pœnitē
tibus, omni
tempore.

Sed tu dic quid de Petro sentis, est ne fidelis & dei electus? SIMON. Ante casum fidelis non fuit, nam si fidelis fuisset, non negasset Christum. IO

IADA. Si infidelis fuit ante casum, quorsum ergo hæc uerba Matth. 16. Tu es Christus filius dei uiui?

Ioan. 6.

An hæc uerba sunt infidelis hominis? Quod si infidelis aut hypocrita fuisset Petrus dum tam insignē æderet confessionem, non dixisset Christus: Beatus es Simon, caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Non commendat dominus hypocritas & infideles, sed auersatur & odit Matth. 6. & 23. Non dixisset ei, Qui lotus est non implet nisi ut pedes lauet. Non dixisset, Petre ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Lege insuper caput 17. Ioānis. Iam rursus quæro ex te, Petrus fuit ne fidelis? SIMON.

Cogit scriptura, ut fidelem agnoscam. IOIADA

DA. Iam quæro an casus eius fuerit peccatum an non? SIMON. Rursus cogit me scriptura, ut

casum hunc peccatum agnoscam, nam plorabat amare. Quod si Christum negare peccatum non fuerit,

quid ergo peccatum erit? IOIADA. Consequitur ergo ex hisce omnibus, Petrum post agnitam ueritatem, & susceptam Christi fidem peccasse: fide-

lis ergo non omnino sine peccato est. Nec parum peccauit Petrus, sed grauissime, dum saluatorem mundi negat. Quæro iam an ei peccatum sit remissum?

SIMON. Maxime. Nam Christus ipse dicit: Quum fueris conuersus confirma fratres tuos.

IOIADA. Hoc catabaptistæ quoq; facerent si à deo essent missi. Iam uero quum pertinacia & arrogantia eos misit, tam atrociter contra euangelium loquuntur, pro consolatione desperationem docentes, propheta nimirum de quibus queritur dominus in Ezechiele, quod oues morbias et saucias nihil curent, quod tamē à domino pastore bono merito didicissent Lucæ 15, uel à Paulo 2. Cor. 2, sed dissipatores sunt gregis dominici. Quid enim eos cogit, ut à nostris ecclesijs se separent? Supra philantiā nihil, quā quod nos (ut ipsi perhibent) peccatores sumus, usurarij nempe, publicani, potores &c. Multa sunt (quod fateri cogimur) pro dolor flagitia inter nos, attamen non omnino desperandum de multis quin ad resipiscentiam adduci possent. Nec omnino cessat apud nos scelerum correptio, nam in his non admodum ignaui sumus, ad rauim usq; subinde uociferantes.

Adhuc tamen contra præceptum domini Matth. 23, se à nobis separant: deinde contra exemplum apostolorum, qui neminem cito excluderunt aut damnarunt. Sed hoc est ingenium pharisaicum. SIMON.

Quod

Quod ad hunc articulum attinet satis sum edoctus, & gratias ago deo. IOIADA. Ioannes sine exceptione dicit: Filioli, hæc scripsi uobis ut nō peccetis, quod si quis peccauerit, aduocatū habemus apud patrem, Iesum Christum &c. Nec est ut quis quid causetur. Christus Iesus omnibus peccatoribus aduocatus proponitur, idq; omnibus temporibus, quemadmodum ipse sese omnibus proponit Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego uos reficiam. Hoc idem Paulus de Christo tradit, 1. Timoth. 2. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Iesus Christus uenit in hunc mundum, ut peccatores saluos faciat. Catabaptistæ ergo, si diuersum huic docēt, hostes sunt ex professo crucis Christi: in qua sententia si pertinaciter perstant, manifesti sunt hæretici quos auersari debent omnes pij.

QVOD SALVS ET IUSTITIA NON sit operum nostrorum, sed fidei.

QVod salus & iustitia operum nostrorum sit (quæ pars est tertia huius articuli) catabaptistas (ut puto) peccare non dices, si id doceāt.

IOIADA. Nihil est quod illis dem minus. Nam hoc dato, damnantur omnes epistolæ Pauli ut falsæ & quæ pios seducant. Nam hoc unum est propter quod

IX.
TRACT.

tanto zelo apostolus contra falsos apostolos pugnat. Hi enim docebant iustitiam esse ex operibus: Paulus contra, iustitiam fidei tribuit. Hoc ex Romanorum & Galatarum epistolis facile est uidere. Sed adferam tibi ex his testimonia quædam irrefragabilia. Ad Rom. 3. sic dicit Paulus, Omnes peccauerunt, & egent gloria dei, iustificantur autem gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. Ad Roma. 4. Si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod gloriaretur, at non apud deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Ei uero qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: porro ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Quemadmodum & David explicat beatificationem hominis, cui deus imputat iustitiam absque operibus. Beati (inquit) quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata &c. Psalm. 32.

Ad Roma. 11. Reliquie secundum electionem gratie fuerunt. Quod si per gratiam, iam non ex operibus, quandoquidem gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non gratia, quandoquidem opus iam non est opus.

In Galatarum epist. cap. 2. Vitam autem, quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij dei, qui dilexit me,

xit me, & tradidit semetipsum pro me, non aspernor gratiam dei. Nam si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est. In cap. 3. sic colligit: Quod autem in lege nemo iustificetur apud deum, palam est. Siquidem iustus ex fide uiuet. Lex autem non ex fide, sed qui fecerit ea homo, uiuet in ipsis. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio, ut in gētes benedictio Abrahamę ueniret per Christum Iesum, ut promissionem spiritus acciperemus per fidem. Fratres, secundum hominem dico. Hominis licet testamentum, tamen si sit comprobatum, nemo reijcit aut addit aliquid. Porro Abrahamę dictę sunt promissiones & semini eius: non dicit, in seminibus, tanquam de multis, sed tanquam de uno, & in semine tuo qui est Christus. Hoc autē dico, testamentum ante comprobatū à deo erga Christum, lex quę post annos quadringentos & triginta coepit, non facit irritum ut abroget promissionem. Nam si ex lege est hæreditas, nō iam est ex promissione. Atqui Abrahamę per promissionem donauit deus. Etenim si data esset lex, quę possit uiuificare, uere ex lege esset iustitia, sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Ad Ephesios 2. adhuc clarius: Gratia estis seruatē per fidem, idq; non ex uobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Nā ipsius sumus opus con

diti in Christo Iesu ad opera bona quæ præparauit deus, ut in eis ambulemus.

Ad Titum 3. Eramus & nos quondam stulti, inobedientes, errantes, seruientes desiderijs ac uoluptatibus uarijs, in malitia & inuidia degentes, odiosi, inuicem odio prosequentes. At postquam bonitas, & erga homines amor seruatoris nostri dei, non ex operibus quæ sunt in iustitia quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulente, per Iesum Christum seruatorem nostrum, ut iustificati illius gratia, hæredes efficeremur iuxta spem uitæ æternæ.

Clara sunt hæc & irrefragabilia. Nam qui contra hæc loquuntur, nõ Christiani sunt, sed socij pseudoapostolorum, contra quos apostolus scribit, & nominat eos malos operarios, et subuersores euāgelij Christi. Et his uerbis non catabaptistæ solum, sed & pontificij taxantur, & quicumq; iustitiam operibus nostris tribuunt. SIMON. Contra ueritatem tam manifestam nihil possum, cupio autem ex te scire, quid ponderis apud te habeat Iacobi epistola? IOIADA. Ego uero ex te quid ponderis apud te habeant supra recitata testimonia. SIMON. Clara sunt & uera, tum etiam firma satis, & hæc salutem & iustificationem fidei tribuunt, Iacobus uero operibus

buis

bus salutem adscribit. IOIADA. Quid ergo tibi uidetur? An dignum est ut multa uni, an unum multis cedat? SIMON. Vnius loci interpretatio sumi debet ex multis. Sed quid hæc ad epistolam Iacobi? IOIADA. Fuit ne apostolis eadem doctrina, idemq; spiritus? SIMON. Omnino: ego uero de Iacobi uerbis percunctor. IOIADA.

Epistola Iacobi apud me multum habet authoritatis & fidei, etiam si ab Eusebio cæterisque non nihil suspecta, & minus apostolica sit habita. Quod si apostolica est, consequitur eam eiusdem genij & spiritus cum epistolis Pauli esse. Hoc enim antea confessus es eundem spiritum, eandem doctrinam fuisse omnibus.

Deinde uera et firma esse testimonia Pauli per me adducta, quæ salutem fidei tribuunt, non operibus. Iam necessario consequitur, Iacobi mentem non fuisse ut opera iustificent & seruent, & obscurum Iacobi locum per clariora pluraq; Pauli testimonia exponendum esse. SIMON. Quid hoc? IOIADA.

Nempe, quod Iacobus non probare uult, quod opera iustificent, fides non iustificet: sed quod fides sine operibus non sit fides, sed opinio, quæ opinio non seruet, nec satis sit ad salutem hac uana opinione niti. Manifestum ergo fit, fidem Iacobo non pro uera fide & proprie capi (quæ fides dei donum est, renouatio mentis & uitæ) sed pro falsa opinione, quam stulti homi-

Spiritus 22
postolorum
idē ut cunq;
uerba sint
diuersa.

nes fidem nominant, qua et demon credere dicitur et
 cōtremiscere: sed hac fide nihilo melior redditur, nec
 seruatur. Deinde opera non humana intelligit, aut si-
 ne fide nuda, sed fidem per dilectionē operantem effi-
 caciter. Expende iam singula Iacobi uerba, & intelli-
 ges, ab eo probari, partim, quod fides non sit sine ope-
 ribus bonis: partim, quod fides per dilectionem ope-
 rans iustificet & seruet, non falsa ista opinio quam
 pleriq; hypoeritarum iactitant. Non ergo cum Paulo
 pugnat Iacobus, sed omnino idem sentit quod Paulus,
 eodem spiritu consonans. SIMON. Adhuc ta-
 men uidetur mihi salus etiam operibus nostris tribui,
 dum fidei tribuitur. Nam si fides non est absq; operi-
 bus, neq; opera sine fide, eadem sint oportet, & quod
 uni tribuitur, merito tribuitur & alteri. IOIA-
 DA. Fides & opera ita unum sunt ferē, quemad-
 modum diuinitas & humanitas una sunt persona in
 Christo. Neq; tamen sequitur diuinitatem mortalem
 esse, quod Christus uere mortuus est in cruce. Adhuc
 tamen una eademq; & indiuisa persona est. Sic pos-
 sumus in præsenti negotio loqui, Fides iustificat, capi-
 tur hic fides pro electione & gratia dei, item pro red-
 emptione, nec tribuitur nostris operibus, tametsi hæc
 à fide sint indiuisa, & ex fide certissime sequuntur,
 certissimaq; & indubitata signa sunt fidei et electio-
 nis dei. Sic enim Paulus loquitur: Quos prædestinauit,
 hos

Roma. 8.

hos elegit: quos elegit, hos & uocauit: quos uocauit,
 hos & iustificauit. Item Ioannes: Scimus quod cum ap-
 paruerit, similes ei erimus: & omnis qui habet hanc
 spem, purificat se, quemadmodum & ille purus est,
 1. Ioan. 3. In eodem sole lux est & calor, nec alterum
 sine altero est, illuminatio tamen tribuitur luci non ca-
 lori, & calefactio tribuitur calori non splendori solis.

SIMON. Sed scriptura saepe uarijsq; locis no-
 stris operibus & meritis salutem tribuit. IOIADA.
 Fit hoc non ob id quod opus per se propona-
 tur, sed ut opus ex fide manans, per quod nobis hoc
 quod remotum & primum est (nempe fides) indice-
 tur. Exemplo id ostendemus clarius. Quæro ex te, po-
 test ne homo aliquid boni facere ex se? SIMON.

Minime. Nemo enim bonus nisi unus deus. IOI-
 ADA. Et Christus dicit Ioannis 15. Sicut pal-
 mes non potest fructum ferre à semetipso, nisi manserit
 in uite: sic nec uos, nisi in me manseritis, quia sine
 me nihil potestis. Iam quæro, quis ferat botros, aut ui-
 num proferat? SIMON. Vitis. IOIADA.

Si deus uiti negaret suam uirtutem, neq; operaretur
 in ea, quod nos uidemus, uitis illa proferret ne uinū?

SIMON. Haudquaquam. IOIADA.

Præcipuum ergo quod uinum dat non est uitis, sed
 deus. Adhuc tamen uiti uinum tribuimus, quum pro-
 prie sit dei. SIMON. Nihil possum contra ue-

ritatem. IOIADA. Eadem est ratio, quum
 lus et uita aeterna nostris tribuitur operibus, quum
 lius dei sit, & gratuita electionis. Nam deus operatur
 in nobis & uelle & perficere pro bona sua uolun-
 tate. Is inquam operatur in nobis bona opera, ut in
 lectis suis. Nihilominus opera nobis tribuuntur & tra-
 stra dicuntur, quae tamen dei sunt, ut maneat soli dei
 gloria. Intelligis quae dico? SIMON. Optime
 intelligo. IOIADA. An ergo tibi satis est fa-
 ctum? SIMON. Omnino. Video iam catabo-
 ptistarum doctrinam ex ignorantia & audacia pro-
 cisci, & admodum esse perniciosam, quae coram sim-
 plicibus speciosa est, sed reuera error & inscitia, im-
 malitia quaedam. Sed audire cupio quid de quinta co-
 clusione dicas, nam omnino persuasi sunt animas dor-
 mire.

ANIMAS EXVTAS CORPORIBVS
 non dormire, sed uiuere cum Christo.

IOIADA.

X.
TRACT.

Sed hac opinione Euangelium, quod de resurre-
 ctione Christi docet, abolent. Sic enim Paulus ad
 Romanorum primo. Deinde negant articulum
 ultimum fidei, uitam nempe aeternam post hanc uitam.
 An ergo non est pernitiōsa doctrina, quae tam manife-
 ste ueritati

*seueritati & fidei repugnat? SIMON. Tu
 catabaptistas non capis. Nam neq; euangelium, neq; re
 surrectionem Christi negant. Animas post corporis
 mortem (si fide hinc excesserint) in sinu Abrahae, ad
 ultimum usq; diem dormire dicunt, tum demum uitam
 aeternam ingredi. Atq; hanc suam doctrinam ex euan
 gelio & Paulo probant Lucae 16. 1. Thessalon. 4. No
 lo uos ignorare de dormientibus & c. In ueteri testa
 mento de patribus scribitur quod dormierint cum pa
 tribus suis. Item de Stephano qui dicitur obdormiuis
 se in domino. Quod uero tum demum uita aeterna ani
 mabus reddatur, ex Paulo probant 2. Timoth. 4. Bo
 num certamen certavi, quod superest reposita est mi
 hi corona iustitiae, quam reddet mihi dominus in illo
 die, qui est iustus iudex: non solum autem mihi, sed et
 omnibus qui diligunt aduentum ipsius. Simile quid
 dam est Philip. 3. & 1. Ioannis 3. Aut quid opus erit
 ultimo illo iudicio & generali, si mox a morte quisq;
 iudicium suum accipit? Haec fortia mihi uidentur, con
 tra quae quid ualeas audiam. IOIADA. Idem
 dico quod antea. Si animae nostrae post mortem corpo
 ris dormiunt, dormit et anima Christi, & resurrectio
 abolita est. Nam sua resurrectione aeternam uitam te
 statur Christus, quae aeterna esse non potest, si anima
 dormit, & tum demum uiuere incipit dum iudi
 cium fit. Catabaptistarum ergo somnus Euangelium*

imde
 mada

De sinu
Abrahæ.

et resurrectionem euacuat. De sinu Abrahæ te quaero an dormitorium sit, an receptaculum uiuentium.

SIMON. Locus in quem animæ fidelium congregantur ad diem extremum usque. IOIADA.

Vbi est locus ille apud inferos ne, an apud superiores?

SIMON. Hoc mihi compertum non est. Deus scit, neque licet nobis hæc scrutari uelle. IOIADA.

Sic defenditis omnia incerta quæ docetis, et quæ multa de sinu Abrahæ loquimini, nondum compertum

habetis quid sit. Sinus Abrahæ societas est et consortium omnium qui sub ueteri testamento in fide Abrahæ

hæc hinc decesserunt, quæ fides in Christum spectauit. Nam hi omnes in Christum seruabantur.

Iam quaeris an non illi per Christum Iesum in æternam felicitatem sint inuecti? SIMON.

Antu non supra intellexisti animas omnium piorum iam dormire in sinu Abrahæ, et seruari ad iudicium? IOIADA.

Turpia sunt hæc mi Simon, et blasphema in euangelium Iesu Christi, dicere nempe, quod hi qui in sinu

fuerunt Abrahæ, per Christum nondum sint liberati et in cælum adducti. Hoc quid aliud est quam cælum

adhuc reueratum non esse per Christum? Quam prognat hæc doctrina cum uerbis Christi Ioannis. 14. In

domo patris mei mansiones multæ sunt, quod si secum esset, dixissem uobis, Vado paraturus uobis locum.

Et si abiero (per mortem uidelicet) ad parandum uobis locum,

bis locum, iterum ueniam, & assumam uos ad me-
 ipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Dic ergo mihi Si-
 mon, Christus ubi est? an forte in sinu Abrahamæ? an in
 cœlis? SIMON. In cœlis est ad dexteram dei
 patris. IOIADA. Recte, ergo & nos in cœ-
 lis erimus, non in dormitorio Abrahamæ. SIMON.

Sed tum demum, quū redierit dominus, dicit enim:
 Iterum ueniam ad uos, & accipiam uos ad me. Hic ad-
 uentus Christi extremo tandē die erit. IOIADA.

Quid si de aduentu Christi ad finem uitæ cuiusq;
 intelligam? SIMON. Sic tu quidem, sed pro-
 bandum erit scripturis sacris. IOIADA. Hæc
 non mea sunt, sed eius qui illic loci de morte sua loqui-
 tus est. Eundi enim uerbo pro moriendi utitur, Porro
 ueniendi uerbum (quod catabaptistæ contendunt) non
 accipitur pro extremo aduentu, sed pro resurrectio-
 ne Christi, & auxilio quod fidelibus præstat, in extre-
 mis laboratibus. Rediit enim posteaquam resurrexisset
 à mortuis & declarauit se aperuisse regnum dei,
 ut quemadmodum ipse ingressus sit, sic et nos ingres-
 suri simus. Ingressus autem est immortalē uitam, non
 somnum: regnum dei, non sinum Abrahamæ, idq; mox à
 morte: ergo & nos uitam æternam atq; regnum dei
 mox à morte ingrediemur. Assumit enim nos, quum à
 morte ad uitam uocat Ioannis 5. Per expositionem e-
 nim subiicitur: Ut ubi ego sum et uos sitis. Anima ergo

1. Pet. 4.

à morte ad uitam æternam assumimur, corpore in iudicio. Aut dic tu mihi Christus ne clausum cœlum morte sua reſerauit? SIMON. Maxime. IOIADA. Sed quid opus reſeratione, ſi non patet animabus ad uitam aditus? Quum tamen Paulus dicit: Cæpio diſſolui & eſſe cum Chriſto, nimirum credens à morte cum Chriſto futurum. Petrus inſuper dicit hoc mortuis prædicatum eſſe euangelium, ut iudicarentur quidem ſecundum homines carne, uiuant autem iuxta deum ſpiritu. Annon hæc teſtimonia clare docent animas uiuere apud deum? Nam dicit mortuis euangelium eſſe prædicatum. Quid eſt prædicatum eſſe euangelium, quàm redemptionem & uitam eſſe annunciatam? Mortui qui ſunt alij, niſi hi qui è uitâ exceſſerant, & in ſinum Abrahamæ congregati? SIMON. Sed quomodo prædicatum eſt eis euangelium? IOIADA. Virtus paſſionis Chriſti & fructus mortis eius, quæ et ipsis profunt. SIMON. Quomodo? IOIADA. Quod per mortem Chriſti liberati in æternam uitâ (quod ad animam attinet) ſunt recepti. Corpore in extremo die reſurgent, & uelut cæteri in uniuerſali iudicio iudicabuntur. Interim animæ eorum cum deo uiuunt. Satis probatum tibi eſt, animas in ſinu Abrahamæ per Chriſtum eductas & in cœlum inuectas eſſe? SIMON. Nihil repugno. IOIADA. Nec aliud reſpondeo.

peric

peries in uerbo dei. Consequitur ergo Abrahæ sinum non dormitorium esse, sed uitam iam æternam. Quod ex cap. 16. Lucæ comprobabimus. Nam illic scribitur Lazarum frui solatio, quum interim diues apud inferos cruciatur. Quod si anima (ut uos perhibetis) dormiret, nullum haberet gaudium, nisi per insomina uanis quibusdam gaudijs frueretur. Si gaudet anima, impossibile est quod dormiat. Sic Matth. s. satis clare habetur, multos esse uenturos qui sint accubituri in regno dei cum Abraham Isaac & Iacob: ut interim

taceam somnum nature animæ (quæ ἐντελέχεια per factio ἐν ἐργασίᾳ vis ex se mouens, agitatio. Cicero con- tinuatum quanda peronnæ motiōm interpretat. Simo- nis q̄ ἐντελέχεια scribi uolunt, sed p. 7. scriptum pler- q̄ lib. probatur. Ad quo- bus. in Abs. quidam dicuntur quasi ἐντελέχεια βίωσι λεω x̄ per factio cor, peris comprehen- sionem. Videri phil. pul. in 1. lib. sig. de anima, ubi Cicero de fundit in interpretatio id. ue ἐντελέχεια est) omnino aduersari. SIMON.

Clariora sunt hæc & firmiora quàm putaram.

IOIADA. Imprudentis est dicere: Non putaram, & audita altera parte tantum pronunciare sententiam. Adornant sua satis pulchre catabaptistæ, sed parum firma sunt. SIMON. Vellem audire

in qua significatione scriptura uteretur uerbo dormiendi, quod tam frequenter ubiq; occurrit. IOIA-

DA. Dormire ueteribus mori est, sed propter corporis resurrectionem dormire dicuntur qui diem obcunt extremum. Quemadmodum enim is qui se ad tempus somno dat se non dubitans experrecturum: sic corpus dormit, hoc est, moritur et cubat in sepulchro conditum et seruatum ad diem resurrectionis. Sic dormierunt patres, sic Stephanus & omnes pij. Quan-

doquidem ergo dormire mori est, et animæ mori non possunt, dormire haudquaquam possunt. Nam Stephanus dixit: Domine, suscipe spiritum meum: hoc dicto obdormiens, commendata anima patri, moritur corpus. In hoc ergo falluntur illi, quod animæ tribuunt quæ corporis sunt. Interim toti homini attribuitur, propter unionem animæ & corporis in una eademq; persona. Quod exemplum supra de Christo quoq; adductū est. Dicitur enim Christus mortuus esse, quam tantum corpus in Christo mortuum sit, non diuinitas, non anima. Sic obdormit homo, sed corpore non anima. Hanc synecdocham (ut cæteros tropos) non intelligunt (aut non intelligere uolunt) catabaptistæ, & hac de causa in multis errant. Sed ignorantia reddi eos audaciores, ut doceant quidquid uel somno concipiunt. SIMON. Adhuc tamen ratum est quod Paulus sibi coronam iustitiæ tunc tandem repudi ait, quū uenerit dominus. Rata item sunt quæ sunt apud Ioannem & Paulum ad Philip. IOIADA.

Hoc obseruandum Simon, diem domini in scripturis non semper pro ultimo illo die capi, sed aliquando
 Ioan. 8. pro ueritate & luce, ut in euangelio Ioannis. Aliquando pro uisitatione domini, ut sepe in prophetis & 1. Cor. 3. Aliquando pro cuiusq; fine aut morte, ut Ioannis 6. Resuscitabo eum in nouissimo die, hoc est, seruabo eum in uita æterna in nouissimo die, id est, dum

dum moritur. Nam dum moritur quisq; ultimus illi dies est. Hoc pacto usus est Paulus ultimo die in epistola ad Timoth. Præmiserat enim de morte sua, Ego iam delibor &c. Se tamen in cursu suo fidelē fuisse, obq; id non dubitare quin ipso eodem suæ mortis die sit sibi redditurus coronam iustitiæ iustus iudex, qui ut impunita non sinit scelera, ita fideliter laborantes remunerat. Et is locus magis à nobis stat quàm à catabaptistis, quum coronam iustitiæ quæ debetur iustis sibi rependi in morte sperat. Non ergo credit animas dormire sed æternum uiuere.

Quæ ex Ioanne & Paulo ad Philip. citas, de extremo loquuntur iudicio, sed nō testantur animas dormire. Nam quæ illi loquuntur de salute, magis ad corporis resurrectionem pertinet. Pauli uerba sic habet: Transfigurabit (scilicet Christus) corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso. Quid hæc sibi uolunt, nisi quod corpora nostra spem habeant resurrectionis, quemadmodum et Iob loquutus est Iob 19. SIMON. Si animæ statim à morte iudicium suum habent, quid opus uniuersali illo iudicio?

IOIADA. Ad integrum hominem pertinet, qui ex corpore quod resurrexit & anima iterum reficietur, de quo 1. Thessal. 4. & Matth. 24. 25. Desyderas in his aliquid? SIMON. Fundamenta ex scripturis audire percipio. IOIADA. Multa

LIBER I.

admodum adducta sunt per me, quid insuper petis?

SIMON. Reliqua adhuc habes subsidia, que proferas oro. IOIADA. Quandoquidem audus es ueritatis, nihil te celabo. Doctrina de somno animarum non solum scripturis & fidei repugnat, non solum euangelium et resurrectionem Christi eneruat, sed & sensui communi aduersatur, rudis quedam & indocta ignorantia. Sed age explicemus ista. Quæro ex te, Anima caro est an spiritus? SIMON.

Caro non est neq; substantia aliqua crassa & corporea, sed purus & simplex spiritus. IOIADA.

An ergo spiritus corporalibus infirmitatibus obnoxius esse potest, qualia sunt, esurire, fatigari, mori &c? SIMON.

Haudquaquam. Hæc enim corporis sunt duntaxat. Spiritus immortalis est, incorruptus, perpetuus. IOIADA.

Recte pronuncias. Iam ergo sic collige: Quandoquidẽ spiritus est anima non caro, carnalibus passionibus obnoxia haudquaquam est, sed ab ijs libera. Somnus corpori accidit ex defatigatione: somni ergo capax nõ est anima.

Fatigari enim animæ non conuenit. Aut potes tu de somno aliud pronunciare? SIMON.

Nihil. Cessant enim omnes operationes & sensus, & corpus, nisi spiraret, mortuum esse iudicaretur. IOIADA.

Si iam animæ nostræ illic dormirent, nullus esset sensus, sequereturq; nobis neq; bene neq; male esse

esse, quod ex diametro cum euangelio pugnat. Deinde ex somni natura & ingenio probabimus animam dormire haudquaquam posse, sed corpus duntaxat. Quæro enim quando dormiat anima, tum ne, quum à corpore discessit, an donec corpori est iuncta? SIMON. Vtroq; tempore. IOIADA. Neutrum esse potest, & miror tam crassam ex te responsionem. Quum enim anima multo minus onere corporis posito dormire potest, quàm dum onus corporis adhuc gestat. Et nõ dormit dum adhuc in corpore degit. Cõsequitur eam multominus dormire ex utraque corpore. Quod in corpore existens non dormiat, ex hoc fit manifestum, quod uigiliarũ tempore corpus actiones suas irrequieto motu persequitur, quæ actiones ab anima proficiscuntur. Animam ergo, dum corpus uigilat, non dormire constat. Porrò quum corpus quieti & somno se dedit, perpetuo motu anima operatur neq; unquam cessat, aut spirat, aut memoria & intellectu cæterisq; præstantiorib. uiribus semper aliquid agit. Tota hominis uita aut uigilia est aut quies, neutro illorum dormit anima, ergo omnino non dormit. Somnus ergo (quod constat) corporum est non animarum. Posteaquam enim uiuere incipit anima, perpetua ἐντελέχεια est, utpote ab æterno bono profecta, quam perpetuã in anima actionem & motum si quis negat, eadem ratione & animam neget necesse est.

SIMON. Hæc mihi non tam clara sunt. IOIADA. Exemplo ergo tibi clarius reddam. Ignis pura & actuosissima res est, quæ postquam semel cepit, ab operatione nunquam cessare potest, nisi esse desierit, quod tum fit quum nihil habet in quod operetur. Si uim et operationem ignis negas, ignem negasti. Eadem ratio est animæ quæ posteaquam à deo infunditur corpori, uiuus spiritus, & operans uis, cessare nunquam potest, requiescere nunquam.

Vis ignem non esse, adime operationem. Si animam negas, tribue ei somnum. Nam dicere animam dormire, idem est, ac si dicas eam non esse. Si dormit, requiescit quoque: si requiescit, non operatur: si non operatur, non est: nam operari & esse in anima idem sunt, quum sit perpetua ἐνδελεία. Sed anima est, ergo non dormit. Hoc ne intelligis? SIMON. Probe.

IOIADA. Idcirco dixi catabaptistas ingenij & naturæ animæ ignorantes esse. SIMON.

Timeo aut Phedro Platonico forte aliquid dixisse, ego scripturas mallet. IOIADA. Sadducei docebant resurrectionem nullam esse, & per hoc animæ immortalitatem & endelechiam negabāt, in summa & angelos, et spiritus omnes Acto. 13. Horum ordo dominus his rationibus obstruit: Erratis inquam ignorantes scripturas, neque uirtutem dei animaduertentes. Deus post mortem patrum se deum uocat Abraham,

Isaac

Isaac, & Iacob, qui deus sit non mortuorum sed uiuentium: mortuos ergo non esse Abrahamum reliquosq; patres. Iuxta corpus quidem mortui iam olim erant et sepulti etiam: de animæ ergo uita loquitur Christus. Anima ergo à corpore separata uere est & operatur uiuens, nunquam dormit. Hunc syllogismum catabaptistis omnibus propono, ut ad hunc respondeant, & se se Sadducæa hæresi liberent.

Sadducæis enim sunt et Manicheis similes. Quid de Christi uerbis dicam, qui in cruce latronem his uerbis alloquitur: Hodie mecum eris in paradiso? SIMON. Paradisus & sinus Abrahæ catabaptistis idem sunt, in quo animas dormire aiunt. IOIADA. Hoc asserunt absq; scripturis, spiritu nempe hæretico. Hodie inquit Christus eris mecum in paradiso. Expende singula uerba. Si paradisos dormitoriū est, ergo & Christus in ea dormit. Dicit enim, hodie mecum eris. Deinde latro dominū rogauit ut memor esset eius, quum in regnum suum ueniret. Quod si regnum Christi dormitorium est, quid est quod scripturæ de resurrectione & ascensione Christi in cælos loquuntur? Pertinaces onagri estis uos catabaptistæ, qui audetis de somno mentionem facere contra tam clara scripturæ testimonia. Quid ad uerba Christi dicent Ioannis 5. Qui uerba mea audit, & credit ei qui misit, habet uitam æternam, et in iudicium non uenit,

Sed transiuit à morte in uitam. Quæ uerba tam clara sunt, ut à nemine nisi hæretico possint negari. Legatur caput Ioannis 11. & Pauli caput 15. prioris epistolæ ad Corinth. item 2. Cor. 5. & manifestum fiet somnum catabaptistarum Euangelij & resurrectionis Christi blasphemiam esse. SIMON. Si reuoluentius expendatur, audaciæ & ignorantie notam non effugient catabaptistæ, sed non tam exacte omnia expendunt. IOIADA. Cur ergo docere præsumunt, & tentant quæ uires eorum excedunt. Deinde meliora edocti ueritati cedere debebant. Sed dum constantes uideri uolunt, pertinaces & contumaces reperiuntur. In summa, ex contentione, arrogantia, & ignorantia omnia agunt. SIMON.

De sexta conclusione interrogarem, nisi mihi ad diuersorium iam abeundum esset. Quod si tibi integrum fuerit prima luce adero, plura tecum disputaturus. IOIADA. Placet hoc, nam & ego diuertar. Cras paratior adsis. SIMON. Vale.

IOIADA. Et tu uale.

Secundus liber